ſacramenti ordinis, quod divinum eſt, impeditur tamen conjunctio continentiæ, quæ eſt humana. Vel 2. dic eam regulam intelligi, ubi in acceſſorio non reperitur diſpoſitio ſpecialis, ut bene explicat *Dynus in eadem regul. Acceſſorium, n.* 2. At reperitur diſpoſitio ſpecialis annullans votum metu emiſſum, *c.Perlatum, & c.Cum dilectus, de his quæ vi*. Ex voto autem acceſſorio ordini debebat conſurgere obligatio ad continentiam, ut n. 5. probavimus. Vel tertio dic, intelligi, quando in principali, & acceſſorio, ac connexis reperitur eadem ratio, ut bene docent *Abbas c. Debitores, n.* 2. *de jureſur. & ibi Imola nu.* 5. *Pelinus n.*3.*Rota in* 1. *to. in noviſſimis, deciſion.*561. *n.*13. Et conſtat ex *eo.c Debitores*, ubi valet juramentum acceſſorium promiſſioni ſolvendi uſuras: cum tamen principalis promiſſio ſit irrita. Quod ratio divinæ reverentiæ, quæ ſervare juramentum compellit, minime in ſimplici promiſſione reperiatur. At non eſt eadem ratio in characteris ordinis impreſſione, & in voto continentiæ annexo. Nam ad illam ſat eſt in adulto quæcumque voluntas; imo & ſola voluntas Eccleſiæ in infante. Hoc autem liberam voluntatem deſiderat. Ad 2. dic diſparem eſſe rationem, quia Baptiſmum non eſt tam proprie votum, quam religionis profeſſio, quæ ab Eccleſia irritari nequit, & qualicumque in adulto voluntate contenta eſt: & in infanti ſola Eccleſiæ voluntate: & ideo ex mera natura Sacramenti naſcitur obligatio religionis. Quod in voto ordini annexo non invenitur. Quare profeſſio religionis eſt jure divino annexa Baptiſmo: at continentia ſoli Eccleſiaſtico annectitur ordini. Ad ultimum fateor fuiſſe voluntarium votum: at petit, amplius ut valet, ſpontaneam ac liberam voluntatem. Ad confirmationem dic, illud concilium intelligendum de iis qui poſtea libere ratificarunt ordinem, juxta tradita numero nono, vel ſecutum fuiſſe priorem opinionem valde probabilem. Nec ei fidem habere cogimur: quod ſit provinciale,

DISPUTATIO XXX.

An ſacer ordo ante rationis uſum, aut poſt eum, ante pubertatem tamen aſſumptus, obliget ad continentiam, ac irritet matrimonium ſubſequens?

SUMMARIUM.

Circa infantem, refertur duplex ſententia, n. 1. *&* 2.
Proponitur ſententia Auctoris, 3.
An poſſit matr. inire, poſſitque Eccleſia illum ad matrimonium inhabilem reddere? 4.
Quando poſſit reſilire, & an reſiliens maneat ſuſpenſus, nec gaudeat privilegiis clericalibus? 5.
*An ordinatus poſt uſum rationis, ante pubertatem tamen, teneatur continere? Refertur duplex ſent. n.*6. *&* 7.
Sententia Auctoris, 8.
An poſſit hic matrimonium contrahere? 9.
Qua ætate poſſit reſilire? 10.
An ſit neceſſario interrogandus an velit in ordine permanere, ut cenſeatur ratificare? 11.
An teneatur recitare officium, licet ante tempus legitimum ratificet? 12.
An ſi poſt pubertatem ratificet, vel utatur ordine, poſſit reſilire, & quid deſideretur, ut ratificet? 13.
An poſſit hic uti ordine ſuſcepto? 14.

1 DUplex petitur difficultas: altera, de ordine ſacro ſuſcepto ante rationis uſum: altera vero, de ſuſcepto poſtea, ante pubertatem tamen, Circa priorem difficultatem quidam cenſent ordinatum ante rationis uſum teneri continere, quod verum characterem ſuſcipiat. Sicut de metu ordinato aſſerunt multi ducti eadem ratione, quos retuſi diſputat. præced. n.4. & ita docent *Palud.*4. *d.*37. *q.* 1. *ar.*1.*num.*14.*Supplementum Gabriel.*4.*d.*25. *q.* 1. *ar.*2. *concl.* 8. *D. Anton.*3. *par. tom.* 1. *cap.* 8. *in fine ſecundæ concluſionis:* ſubditque matrimonium poſtea contractum non valere. *Ledeſma* 2. *par.*4. *q.* 55. *ar.*4. *paulo poſt principium. Gaeta repetitione cap. Ad limina*, 30. *q.* 1. §. 4. *q.* 194. *num.* 465. Et clare ſentit hanc ſententiam eſſe probabilem, *Ricar.leg.*4.*diſt.*25.*ar.*4. *q.*2. *ad* 3. utramque enim retulit ſententiam, & neutram definivit. Et utramque partem ponit ac probabilem *Celaja* 4.*d.*25. *q.* 3. §. *Contra opinionem arguitur.*

2 Aliis placet hunc non teneri continere: at non certum illis eſt an poſſit matrimonium inire. Sic *Angles* dicens eſſe probabile, eſſe inhabilem ad matrimonium, *Floribus* 1. *p.* ubi de Sacram. ord. *q. un. ar.* 4. *diffic.*1. *Petrus de Ledeſm. de Sacramentis*, ubi de Sacram. ord. *cap.* 6. *diffic.* 1. *col.* 6. *poſt* 3. *dictum*. §. *Aeſta duda*. Et reddit rationem, quia licet non ligetur voto, potuit ſtatuto Eccleſiæ inhabilis reddi ad matrimonium.

Verum omnino dicendum eſt, hunc nulla ratione aſtringi ad continentiam. Conſtat ex dictis diſp. præc. n. 5. ubi late
3 probavimus, metu gravi ordinatum non teneri continere: quod licet voluntas adfuerit, non fuit libera: nedum ante uſum rationis initiatum, in quo nulla prorſus fuit voluntas. Et argumenta contraria ſoluta ſunt diſput. præc. n. ult. Et ideo hanc partem ſuſtinent omnes quos n. 8. referam, dicentes etiam ordinatum poſt uſum rationis, ante pubertatem tamen, non teneri continere. Et ultra eos, docent *gloſſa cap. Pueri, verb. Ad ſacros, el* 1. *q.* 1. *Hoſt. ſum. t. de temp. ordinatio*, §. *Sed & præter regul. nu.* 11. *verſ. Plus notat*; *Paul. clem. un. de conſang. & ibi Cardin. num.* 1. *oppoſit.*7. *Silv. Matrim.* 8. *quæſt.*12. *diſt.*2. *Navar. l.* 1. *conſil. t. de his, quæ vi, & in priori edit. conſ.*2. *n.*4. *in poſterioris, conſ.*4. *num.*4. *Rota in noviſſim. p.* 1. *deriſ.*561. *n.*6. *Ant. Cucus lib.* 5. *inſtit. majorum tom.*12.*n.*221. *Gaeta repeti. cap. Ad limina*, 30. *q.* 1. §. 3. *quæſt.* 12. *num.*55. *Mogollon tractatu de his quæ vi, cap.* 8. §. 2. *num.* 23. Et ex Theologis, *Major.*4. *diſt.*24. *q.* 2. *arg.* 5. *Pal.* 4. *d.* 25. *qu.* 3. *art.* 1. *num.* 10. *Richar.* 4. *d.* 37. *ar.*1. *q.* 1. *corp. Almain* 4. *d.*25. *q. un. & ibi Sotus q.* 1. *ar.* 2. *circa ſolut. ad* 2. *poſt* 3. *concl. verſ. Quod ſi roges, & l.* 7. *de juſt. qu.*2. *ar.* 5. *ad ult. Palacios* 4. *d.*25. *diſp.* 1. *col.* 10. *verſ. Porro occinet aliquis. Enriq. l.* 10. *de ſacram. ordin. cap.* 14. *n.* 3. *& l.* 12. *de matr. cap.* 5. *num.*9. *in commento, lit. Q. Azor lib.* 13. *inſtitutionum moral. cap.*24. *q.*9. *Manuel* 2. *tom. ſum.* 2. *edit. c.*96. *nu.*4. *concl.*4. *Vivald. candel. ſacram.* 1. *p.* ubi de ſacram. ordinis, *n.*25. *Bartol. a Ledeſma de ſacram. ordin. dub.*14. *col.* 2. *Vega* 2. *tom. ſum.*57. *caſu* 7.

Hinc infertur contra Auctores n. 2. allegatos, poſſe hunc libere, ſi ordine uti nolit, ad matrimonium tranſire. Quia ſola caſtitas ordini annexa poterat impedire, at nulla ratione tenetur ad caſtitatem. Conſtat etiam ex dictis diſp. præc. n. 6. ubi multis Doctoribus allegatis probavimus idem de ordinato per metum. Idem etiam conſtabit in hac diſp. num. 9. ubi referam Auctores hoc aſſerentes de ordinato poſt uſum rationis, ante pubertatem tamen. Et ita docent, *Paulus, Cardin. Sotus utroque loco, Enriquez utroque loco, Gaeta, Azor, Manuel, Vivaldus, Mogollon, n. præced. allegati*. Nec verum eſt, quod dixit *Petrus de Ledeſma num.* 2. *relatus*, nimirum, poſſe Eccleſiam reddere inhabiles ad matrimonium, initiatos ordine ſacro ante rationis uſum. Quia potuit Eccleſia id imponere ordinatis propria voluntate: & nulla alia ratione eos ad ordines admittere. Quia cum voluntarie promoveantur ad ordinum dignitatem, voluntarie ſubinde ad caſtitatem obligantur: ad quam nullum invitum poteſt Eccleſia cogere. Quamobrem (ut diſp. ſeq. n. 4. probavimus) poteſt Eccleſia ſtatuere, ne in poſterum quiſpiam minoribus ordinibus initietur, niſi promiſſa caſtitate: at jam initiatis id onus imponere nequit, ne inviti cogantur ad continentiam. Cum ergo infans abſque omni prorſus voluntate ſit ordine ſacro inſignitus, caret Eccleſia poteſtate ipſum invitum ad continentiam compellendi, reddens ipſum matrimonii incapacem. 4

2. Infertur, infanti ſic ordinato, dum fuerit ſui compos, dandam eſſe optionem, velit ne in ordine permanere, an reſilire. Quod ſi velit permanere, jam voto caſtitatis manebit ligatus: ſi autem reſilire eligat, manebit ſuſpenſus uſu ordinis. Sic *Sotus, Enriquez, Azor, Manuel, Vega n. præced. allegati*. Dicunt autem eam optionem dandam cum pervenerit ad uſum rationis. At de hoc dicemus n. 10. An vero fruatur privilegio clericali? dic idem quod dixi de metu ordinato nolenti in ordine permanere, diſp. præced. n. 3. 5

Circa poſteriorem autem difficultatem, eſt gravius dubium de ordinato poſt rationis uſum, ante pubertatem tamen, num continere teneatur? Qua in re triplex eſt ſent. Prima ait eum teneri continere, quia libera voluntate ad ordinem ſacrum eſt promotus. Quare non eſt cur a voto adnexo excuſetur. Ita docent *gloſſa c. Pueri, verb. Ad ſacros, el* 1. 1. *q.* 1. *& c. un. verb. Diſcretionis, de clerico per ſaltum promoto*, ubi *Ant. n.*4. *fi. Card. n.*2. *q.*1. *in fin. Bonifac. clem. fin. num.*26. *&* 27. *de æta. & qual. Alex. Carrer. l.*3. *de ſponſal. c.*3. *Sotus l.* 7. *de juſti. q.* 2. *ar.* 5. *ad ultimum*: explicatque quando, dum initiatus eſt, attigerat x. aut xII. annum, & forſan vIII. *Vega* 2. *to. ſum. c.*57. *caſu* 7. 6

II. Sententia diſtinguit, ſi impubes ille ſit doli capax, cogetur continere: ſecus vero non. Quia in matrimonio carnali malitia ſupplet ætatem, *cap. De illis, de deſponſ. impub.* cur ergo non in hoc ſpirituali matrim. Ita docet *Immola cap. Joannes num.* 22. *de cler. conjug.* 7

III. Sententia (quam probabiliorem credo) ait non teneri continere, niſi adeptus pubertatem ratificet. Ducitur, quoniam votum ſolemne expreſſum in religione approbata, ante pubertatem emiſſum, niſi poſt pubertatem ratificetur, non obligat *c.* 1. *& c. Illud*, 20. *q.* 1. *& c. Ad noſtram, de regul.* Ergo nec votum ſolemne tacitum emiſſum in ſacri ordinis ſuſceptione. Dices hoc votum ſolemne non tantæ eſſe efficaciæ, cum non ſit per ſe & ex natura rei ſolemne. Id fateor, at vere conſtituit in ſtatu jure Eccleſiaſtico incompatibili cum matrimonio; & quamvis Pontifex poſſit diſpenſare, at ſumma cum difficultate diſpenſabit; & propter cauſam valde publicam: quare non eſt credendum velle Eccleſiam voto tanti momenti alligari puerum impuberem. Quamvis enim votis ſimplicibus ligari poſſit, at facillimo negotio illi ætati conſulitur; cum poſſint omnia illa impuberum vota a parentibus vel tutoribus, abſque cauſa aliqua irritari. Et ideo hanc ſent. ſuſtinent *Calder. tom. Qui clerici, vel vov. conſ. un. ad fin. Innoc. cap. Vel non eſt compos, num.* 1. *de temp. ordin. Et ibi Hoſt. ſuper verb. Uſque ad ætatem, n.* 7. *Joan. And. cap. un. nu.* 5. *de clerico per ſaltum promoto*, ubi *Abbas num.* 3. *Ancar. num.* 8. *Henricus num.* 12. *& duobus ſeqq. Hugo cap. Subdiaconus*, 77. *de Archid. cap. Pueri, n. un. q.* 1. *Imola clem. fi. n.*9. *de ætate & qual. Rebuff. praxi benef. reg. de clericis ad ſacros ord. male promotis, gl.*2. *num.*10. *Bern. Diaz in ſua practica canonica in nova edit. c.*26. *n.* 4. *Majolus lib.* 1. *de irregul. c.*30. *n.*6. *Gaeta rep. c. Ad limina* 30. *q.*1. §. 3. *q.* 12. *n.* 55. Imo hodie cum votum expreſſum ſolemne profeſſionis non valeat uſque ad 8

ad xvI. annum completum: juxta *Trid. ſeſſ.*25. *de reg. c.*15. idem dicendum erit juxta hanc ſententiam de initiato ordinibus ſacris ante xvI. annum, nempe, eum non teneri continere. Quia ratio tradita ab hac ſententia prorſus militat in hoc caſu.

9 Hinc infertur, integrum eſſe huic, matrimonium inire, ſi nolit in ordine perſeverare. Quia ad nullam continentiæ legem obligatur. Ita *Innoc. Hoſtien. Joan. Andr. Anch. Henricus, Rebuff. Bernar. Diaz, n. præced. alleg.*

10 Sed rogabis, quamdiu poſſit reſiſtere? Reſp. ſi amplectatur ſententia aſſerens ordinatum poſt uſum rationis teneri continere, non autem antea ordinatum: eſt ſubinde dicendum futuram eſſe contradictionem poſt rationis uſum, ita ut ſi tunc ratificet, amplius reſilire nequeat. Et ita docent Authores n. 5. allegati. At retenta noſtra ſententia, non poſſe eo voto ordini annexo quempiam obligari ante pubertatem, ſubinde dicendum eſt poſſe quandocumque ante pubertatem reſilire, vel ſtatim ac pubertatem adeptus eſt: ita ut neceſſe ſit ratificet, pubertatem adeptus. Et ita docent *Innoc. Hoſt. Jo: Andr. Anchar. Henr. n.*8. *alleg. Gaeta repetit. c. Ad limina* 30. *q.*1. §. 3. *q.*12. *n.*61. & poſſe adveniente pubertate reſilire docent etiam *Abb. & Majol. n.* 8. *cit.* Et utrumque etiam tradit *Bernard. Diaz pract. canon. in nova edit. c.*26. *n.*4. Imo hoc tempus contradicendi durat hodie uſque ad xvI. annum: & ſtatim eo expleto. Quia ad profeſſionis valorem hic annus ſucceſſit, novo in re Tridentini, pubertati, quæ olim ad profeſſionem deſiderabatur, ut notavi n. 8. in fin. Sed rurſus quæres, quamdiu poſt illud tempus reſilire licebit, nempe, poſt pubertatem: (& hodie poſt xvI. annum.) Aliqui cenſent, illud ſtatim accipiendum eſſe metaphyſice. Quia *c. Ad noſtram de reg.* concedens triduum poſt pubertatem, loquitur in diverſo caſu. Ita *Card. c. unic. n.*2. *qu.* 1. *in fin. de clerico per ſaltum promoto*. Aliis vero placet dari triduum poſt pubertatem. Quia *c. Ad noſtram de regul.* conceditur triduum poſt pubertatem profeſſis ante illam, ut niſi reſipuerint intra id ſpatium, ſed habitum profeſſorum detulerint, non poſſit deinceps retrocedere. Ita *Hoſt. Jo: Andr. Anch. Bernard. Diaz, Majol. Gaeta eiſdem locis*. Cui ſententiæ ſavet dici, ſtatim fieri, quod poſt triduum ſit. Qua ratione ducti diximus l. 1. diſp. 51. n. 14. impuberi, cui pubertatem adepto licitum eſt a ſponſalibus reſilire, concedi triduum poſt illam, & reſilientem eo temporis ſpatio dici ſtatim reſilire. Sed diverſa profecto eſt ratio in ſponſalibus. Quia ſponſalia ante pubertatem contracta, erant omnino valida, nec aliquam ratificationem deſiderabant, ſed tantum in favorem teneræ ætatis, & immutari conſilii jus conceſſit poſſe reſilire ſtatim poſt pubertatem. Atque ita ſi tunc non reſiliat pubes, manent omnino firma, & irrevocabilia. At profeſſionis, & ordinis ſacri vota non erant antea valida, & indigebant ratificatione poſt legitimam ætatem, ut ex tunc valida eſſe inciperent. Quare ſi revera is poſtea non ratificaret, non aſtringetur: & ubi ratificat, manet ligatus. Illud autem triduum deſervit præſumptioni fori externi, nam ſi intra illud poſt legitimam ætatem non reclamaverit, præſumetur ratificare, & amplius non audietur.

11 Nec ad hanc ratificationem efficiendam poſt legitimam ætatem, deſideratur illum rogari, eligat ne in ordine permanere, an eo deſerto ad nuptias tranſire. Quia nullus eſt textus id probans. Et quamvis id petant aliqui DD. *c.* 1. *de reg. in ratificanda profeſſ.* diverſa tamen eſt ratio. Quia in ea nil valide geſtum eſt: in hoc autem eventu ordo ſacer valide ſuſceptus eſt. Ita *Inn. c. Vel non eſt compos nu.* 1. *de tempor. ordinat.* Quamvis hæc ratio differentiæ diſpliceat. *Hoſtien. Jo: Andr. & Anchar* ubi eos n. 8. retuli.

12 Hinc deducitur hunc non teneri ad recitandum officium canon. donec poſt legitimam ætatem ratificet ordinem. Sicut de metu ordinato diximus diſp. præced. n 7. Quia ſola characteris impreſſio, quæ ab Eccleſia irritari non potuit, valet uſque ad eam ratificationem. Et ſicut hic non tenetur ad principale onus annexum ordini, quod eſt continentia: ita nec ad onera minus principalia.

13 Quod ſi poſt legitimam ætatem verbo, vel facto ratificet, nimirum utendo ordine ſacro, jam non erit integrum ſibi reſilire, ut diximus etiam diſp. præced. n.9 de ordinato per metum. Et intellige (ut ibi dixi) quando non per ignorantiam, qua ſe ad ordinem aſtringi credebat, eo uſus eſt.

14 Tandem hic ante legitimam ætatem initiatus ordine ſacro, non poterit eo uti, donec ætatem jure ad ordines petitam nactus ſit; quamvis velit in ordine permanere; eſt enim illius executionem interim ſuſpenſus, *c. Vel non eſt compos, de tempor. ordinat. & c. Ex ratione, de ætate, & qual.* At ubi jam adeptus fuerit ætatem jure ad ordines præſcriptam, ſi bona fide initiatus eſt, ita ut culpæ expers fuerit, poterit abſque alia diſpenſatione uti ordine, quod jam impedimentum ceſſarit: & ratione ignorantiæ, & bonæ fidei excuſatus fuerit a ſuſpenſione lata *in Extravag. Pii II.* adverſus eos, qui ante legitimam ætatem ſacro ordine inſigniuntur: ſecus ſi culpæ particeps fuerit.

DISPUTATIO XXXI.

Utrum prima tonſura, & quatuor ordines minores impediant matrimonium, ita ut culpa ſit ab eis reſilire, ac matrimonium contrahere: aut ſaltem eos ordines recipere abſque intentione ad ſuperiores aſcendendi?

SUMMARIUM.

*Quot quæſtiones diſputandæ ſint, num.*1.
An ordines minores impediant matrimonium? Refertur quædam ſentent. 2.
Proponitur vera ſententia, 3.
*An poſſit Eccleſia ſtatuere, ut initiati minoribus, aut in poſterum initiandi ſint ad matrimon. inhabiles: perdantque privilegium clericale, ſi continere nolint? Et explicatur c. De his, d.*28. *n.*4.
An teneatur voto initiatus ordinibus minoribus, exiſtimans votum caſtitatis illis annexum dirimens ſubſequens matrimon. 5.
Solvuntur argumenta. Et enodatur qualiter dictio taxativa non excludat caſus ſimiles, 6.
*An poſſit aliquis cum culpa initiatus prima tonſura, aut minoribus ordinibus, deſerto ordine matrim. inire? Refertur duplex ſententia, num.*7. *&* 8.
*Licitum eſt ex cauſa juſta, quamvis ducat viduam, & explicatur cap. Seriatim, diſt.*32. *n.*9.
Non eſt mortale abſque cauſa recedere, etiam ducendo viduam, & dimittendo beneficium, 10.
Ideſt veniale, 11
Quando cum unica, & virgine, & etiam abſque cauſa, nulla eſt culpa, 12.
Licet non ſolo facto, ſed etiam verbo renunciare, ordineſque deſerere minores, 13.
Solvuntur argumenta, 14.
An peccet mortaliter recipiens primam tonſuram, aut ordines minores abſque animo ulterius progrediendi? Refertur quædam ſententia, 15.
Proponitur ſententia Authoris, 16.
Quid, ſi recipiat ſolo animo declinandæ juriſdictionis ſæcularis? 17.
Refutantur aſſerentes peccare Epiſcopos, qui ad ordines minores promovent eos, qui ulterius progredi non intendunt, num. 18.
An poſſit Epiſcopus petere juramentum a pueris vel parentibus, antequam primam tonſuram conferat, num ulterius aſcendendi animum habeant, 19.
Satisfit argumentis, 20.

TRriplex eſt quæſtio, breviter diſcutienda. Prima qualiter ordines minores impediant, aut dirimant matrim. ſubſequens? Secunda, Qualis culpa ſit ad matrimonium tranſire? Tertia, Qualis culpa ſit ad illos promoveri abſque animo ulterius aſcendendi? 1

Quæſtio I. An ordines minores impediant ſubſequens matrim. Quidam credunt tempore Apoſtolorum fuiſſe acolytham incapacem matrim. ducuntur ex *can.* 27. *Apoſtolorum*, ibi: *Qui ad clerum provecti ſunt, præcipimus, ut ſi voluerint, uxorem accipiant, ſed lectores, & cantores tantummodo*. Et *in novella conſtitutione Juſtiniani collat.*4. *ſub tit. De nuptiis*, §. *Sed & ſi quis*, dicitur ne clericus ultra cantorem, & lectorem nuptias contrahat. Et ſic *Theodor. Balſamon in ea verba Canon.* 26. *Apoſtolici*, ait ante ordines permiſſum eſſe omnibus matrimonio copulari, poſt ordines autem, ſolis cantoribus, & lectoribus. 2

Ceterum veritas eſt, ordines minores nullum prorſus impedimentum matrimonio præſtare. Quia nullus eſt textus id interdicens, ut conſtabit n.6. ex ſolutione contrariorum. Imo id expreſſe conceditur *c. Si quis eorum d.*32. quod eſt ex 6. Synodo, *c.*6. *c. Si quis vero, eadem diſt.* quod eſt ex D. Gregor. Pontifice, *& c.*1. *de cleric. conjug.* Et ratio eſt, quia ordo ſuapte natura non repugnat matrim. ſed voti ſolius annexi cauſa, (ut probavimus diſp. 27. n.5. & 10.) At Eccleſia ſolis ordinibus majoribus, qui ſacri dicuntur, id caſtitatis votum annexuit, ut conſtat ex textibus eodem nu. 10. allegatis. 3

Imo nec Eccleſiæ integrum eſt, iis qui hactenus ad ordines minores provecti ſunt, continentiæ legem indicere: caret enim poteſtate. Quoniam abſque ea obligatione continentiæ ſunt promoti. At continentia præcipi nequit, ſed tantum ſuaderi, *c. Integritas* 32. *q.*1. Deinde, quia eſſet obligare ad vitam longe arctiorem, contra notata *c. Geſta, d.*74. Id tandem probat *c. De his, d.*28. quod ex Conc. Tolet. 2. deſumptum eſt, ibi: *Quibus autem voluntas propria interrogationis tempore deſiderium nubendi perſuaſerit, conceſſam ab Apoſtolo licentiam auferre non poſſumus*. Atque ita docent *Turrec. ibi n.*7. *Sylveſt. Matrimon.* 8. *q.*12. *ad fin. Azor. lib.* 13. *inſtit. moral. c.* 13. *q.* 4. Poſſet tamen Eccleſia conſtituere ne impoſterum ad primam tonſuram, aut ordines minores promoveantur, niſi hi qui ſe voto caſtitatis ſolemni aſtrinxerint, ſicut præcepit de ordinibus ſacris. Quia non tam Eccleſia matrimonii ineundi poteſtatem auferret, quam ipſi ſuo facto ea ſe ipſos privarent, eligentes ſua ſponte ſtatum, cui id votum annexum eſt. Quare textus prædictus accipiendus eſt de jam ad ordines abſque ea continentiæ lege promotis. Ita *Baldus l. Reſcripta, n.*8. *C. de precibus Imperatori offerendis. Turrecr. & Azor. ejuſdem locis*. Qui bene addit poſſe Eccleſiam hactenus initiatis præcipere caſtitatem, aut ut omni clericorum privilegio careant. Sicut *c. unic. de cler. conjug. in* 6. ſtatuit clericos ducentes uxorem bis, aut viduam, deſtitui omni privilegio. 4

Quan-

5 Quando autem recipiens ordines minores credebat illis annexum eſſe votum continentiæ ſolemne, perinde ac ſacris: quidam cenſent illos recipientem eo errore, teneri voto continentiæ ſimplici: ac proinde teneri non inire matrim. at ſi ineat, eſſe validum: Quia cum in animo habuerit facto ipſo vovere caſtitatem, ligabitur utique voto, at non ſolemni, quamvis id intenderit. Quod in nullius poteſtate ſitum ſit, votum ſolemnizare, niſi in religionis profeſſione, aut vera ordinis ſacri ſuſceptione, *c.un. de voto in 6.* Ita ſentiunt *Jo. Andr. c. Joannes, de cler. conjug. n.17. & ibi Ant. n.13. Anch. n.8. q.2. Carden. n.7. q.1. Imola n.14. Gaeta repet. c. Ad limina, 30. q.1. §.4. q. 193. n.463.* Ceterum quamvis videam viros graviſſimos hujus ſentent. illis fidem minime habeo: ſed credo hunc nullo voto aſtringi. Ducor propter doctrinam traditam diſp.27. n.13. ubi probavi profitentem in religione, quam putabat approbatam, cum non eſſet, teneri voto ſimplici: at recipientem invalide ordinem ſacrum nullo voto teneri: cum tamen hic quoque facto ipſo intenderit vovere ſolemniter. Quia promotus ad ordinem ſacrum, non facit per ſe, & principaliter votum caſtitatis, ſed in conſequentiam ordinis ſacri, cui Eccleſia illud annexuit: ac per conſequens, ubi principale, nimirum, ordo non tenuit, cum nulla ſit voti annexio, nulla conſurget obligatio. Sic ergo in caſu præſenti, initiatus illis ordinibus minoribus non intendebat per ſe, & principaliter votum caſtitatis emittere, ſed quatenus exiſtimabat annexum eſſe ordinibus minoribus, & in eorum conſequentiam; cum igitur nulla ſit annexio, nulla conſequentia, nullo voto ligatus manebit.

6 Ad argum. n.2. propoſ. dic, cum *Bellar. in ſuis controverſiis, t.1. de cler. c.19. col.5. §. Probatur tertio, & Azor l.13. inſtit. moral. c.13. q.4. fine*, dictionem illam taxativam non excludere duos alios ordines minores, ſed includere. Quia in illis eſt eadem prorſus ratio: atque ex taxativæ dictionis natura, ut ita excludat extranea, & diſſimilia, ut includat omnes caſus ſimiles eamdem rationem habentes, ut late multis allegatis probat *Everard. in ſuis topicis juris, loco a natura dictioni, taxativa, n.4.* Atque in Novellam conſtitutionem in eodem argumento illatam, explicuit *Julianus anteceſſor in eadem novel. 22. nu.27.* clericos ultra Lectores dici Diaconos, & Subdiaconos.

7 Quæſtio II. an ſit aliqua culpa, initiatos prima tonſura, aut minoribus ordinibus, ab eo ordine retrocedere maxime bis ducendo uxorem, aut non virginem, ſed viduam, aut alias corruptam? *Cajet. 2.2. q.12. ar.1. dub.1.* cenſet eſſe culpam mortalem, ſi abſque juſta cauſa retrocedant, ducentes non virginem, aut binas nuptias contrahentes: ac proinde reddentes ſe inhabiles propter bigamiæ irregularitatem ad exequenda horum ordinum miniſteria. Ducitur, quod ſit perfecta ab ordine apoſtaſia. Nec id fieri valeat abſque ſacramentalium contemptu, ſicut nec recedere ab ordine ſacro abſque ſacramenti contemptu, cum neuter ordo iterari poſſit. Sed in ipſius gratiam probatur ſecundo ex *c. Seriatim, d.32.* quod eſt ex D. Leone Pontifice, ibi: *Hoſtiarios, Lectores, Exorciſtas, Acolythos, ſi extra votum, & habitum monachi inveniantur, & continentiam profiteri voluerint, uxorem ducere virginem cum benedictione ſacerdotali permittantur, non autem viduam, aut repudiatam. Quia propter hoc deinceps ad Subdiaconatum provehi non poterunt.*

8 Alii autem abſolute nulla diſtinctione præmiſſa docent nullam eſſe culpam, initiatum minoribus ordinibus retrocedere, tranſeundo ad matrim. Ducuntur, quod utatur jure ſuo, nec recedat a ſtatu perfecto, ſed a ſtatu, qui initium eſt, & via ad perfectum ordinis ſtatum: ſicut novitiatus ad profeſſionem: nec faciat contra votum, aut aliquod juris præceptum. Ita docent *Covar. 4. decret. 2.p. c.6. §.3. n.3. fine, Toledo l.4. ſum c.18. n.4. Azor. l.13. inſtit. moral. c.14. q.14.* addens non peccare, quamvis ducat viduam. Et facit clare *Sylv. v. Apoſtaſia, q.3. nu.7.* ubi ait, clericum primæ tonſuræ ex parte deſertionis illius nullo modo peccare, ſed ex ſola deſerendi intentione: atque ita ſolum peccare, quando bona intentio deſideratur.

9 Prima autem concluſio ſit. Quando ex juſta cauſa retrocedit clericus hic, etiamſi, viduam ducat, nulla eſt culpa. Hanc probat aperte ratio allata numero præcedenti. Et ſi poſſet videri aliqua inconſtantia venialis, ab ea excuſat cauſa illa juſta. Sicut novitius tempore probationis retrocedens ex juſta cauſa, excuſatur quidem etiam a culpa veniali inconſtantiæ. Præterea quia *c. Seriatim, d.32.* cujus verba retulimus numero ſeptimo, non abſolute interdicit matrimonio hujus cum vidua, ſed ſi velit mortua uxore ad clericatum redire, majoreſque ordines aſcendere. Quod clare conſtat ex ratione, quam ſubjungit. Et ita interpretantur eum textum *Archid. ibi num.1. Turrecr. ibi art.2. n.2. D. Bonav. 4. d.57. initio in expoſitione litteræ*, Quare hi Doctores ſunt clare hujus ſententiæ: & eam tenet *Cajet. ſum. v. Apoſtaſia, Azor. n. præced. alleg. Aragon. 2.2. q.12. art.1. dub.1. Manuel, 2. tom. ſumm. 2. edit. c.7. n.1.* Et faciunt Doctores numero præcedenti allegati, qui indiſtincte excuſant a culpa. Et *Pert. de Ledeſ. de ſacram.* ubi de ſacram. ordinis, *c.7. poſt 3. concl. §. De la primiera corona, circa medium, col.20. f.842.* ubi indiſtincte ait nullam eſſe culpam retrocedere ab his ordinibus ex juſta cauſa. Quod idem ait *Tabiena v. Apoſtaſia, q.10. n.13.*

10 II. Concluſio. Non eſt culpa mortalis ejuſmodi retroceſſio abſque juſta cauſa facta, ducendo viduam, aut bis matrim. ineundo. Quia ſtatus, qui his ordinibus continetur, non videtur tanti momenti, quandoquidem licet abſque mortali culpa nunquam illius miniſteria obire. Præterea, quia his clericis non interdicitur judicis munus, ac ſententiam in cauſa ſanguinis ferre, quo efficiuntur irregulares. Demum hoc aperte probat ratio n.8. allata. Et ideo ita tenet *Cajet. ſibi contrarius, in ſum. v. Apoſtaſia, Valentia 2.2. diſp.1. q.12. pun.1. col.3. Bannes 2.2. q.12. art.1. pag.673. §. Sit tamen 3. concl.* Et clare eſt hujus ſententiæ *Angel. v. Apoſtaſia, n.2.* ubi ait non eſſe mortale deſerere primam tonſuram, licet ex ſola libidine ſtatus laici deſeratur. Nec ex eo efficietur ea culpa mortalis, quod ſic cedens a ſtatu clericali amittat beneficium, quod poſſidebat, quia ea amiſſio nulli eſt pernicioſa, & poterat ille propria ſponte illud dimittere. Sic *Cajet. ibi Aragon. Manuel n. præc. alleg. Toledo n.8. relatus.*

III. Concluſio. Venialis culpa eſt, ſine cauſa juſta recedere a prima tonſura, vel minoribus ordinibus, reddendo ſe incapacem ad illorum ordinum munia obeunda, propter bigamiæ irregularitatem, ut ducendo non virginem, aut bis contrahendo nuptias. Sicut novitius abſque cauſa retrocedens a religione, obnoxius eſt culpæ veniali, quod ſit inconſtans in bono cœpto, quam inconſtantiam nulla cauſa excuſat, quæ in ea retroceſſione inveniatur. Sic *Cajet. Bannes, n. præced. alleg.* Et clare *Tabiena v. Apoſtaſia, q.10. nu.13.* dicit non eſſe culpam abſque juſta cauſa retrocedere, quamvis qualitatem culpæ ſubticeat. Et videtur etiam ſentire *Sylveſt. v. Apoſtaſia, q.3. n.7.* ubi ait deſertionem hanc non eſſe culpam ex ſe, ſed ex ſola deſerendi intentione: atque ita ait peccare deſerentem ſine bona intentione. Idem etiam videtur ſentire *Valent. n. præced. alleg.* ſolum enim dicit non eſſe mortale abſque cauſa juſta retrocedere. Idem etiam videtur tenere *Angel. v. Apoſtaſia, n.2.* ubi ſolum a culpa mortali excuſat retroceſſionem hanc, quando ex ſola affectione ſtatus laici fit. 11

IV. Concluſio. Nullam credo eſſe culpam, quando abſque cauſa fit retroceſſio, ducendo unicam, & virginem. Quia non eſt omnimoda, & perfecta retroceſſio, per quam retrocedens conſtituatur in ſtatu, in quo eſt incapax exequendi munia illorum ordinum: imo poteſt illa exequi, atque frui privilegio duplici clericali: juxta *c. unic. de cler. conjug. in 6.* Sic docet *Bannes, n.10. alleg.* & faciunt Doctores, n.8. alleg. abſolute docentes retroceſſionem hanc vacare culpa. Quamvis *Angel. Sylv. Tabiena n. præc. relati* abſolute loquantur de retroceſſione abſque cauſa, dum illam damnare videntur. 21

Nec audiendi ſunt *Abbas cap. Tua, in fine, de apoſtatis, & Angelus v. Apoſtaſia, nu.3.* ubi retroceſſionem hanc facto ipſo geſtam minime damnant: ſecus ſi verbo fiat: per *cap. Si diligenti, de foro compet.* Quod nil ad rem facit: ſolum enim decidit non poſſe clericos privilegio fori cedere: quia in totius ſtatus clericalis favorem eſt conceſſum. Item, quia mirum eſt, fas eſſe cuipiam facto ipſo clericatum deſerere, ac laicorum more vitam traducere: nefas autem, dicere ſe velle renuntiare. Et ideo merito ab eis diſcedit, *Sylveſt. v. Apoſtaſia, q.3. n.7.* 13

Ad argum. nu.7. propoſita reſpondetur. Ad 1. dic, non eſſe apoſtaſiam ab ordine, qui conſtituit in ſtatu perfecto, ſed in diſpoſitione, & via ad illum, cum facultate retrocedendi: & poteſt utique eſſe, & quotidie fit abſque ordinis contemptu. Ad textum conſtat ex dictis, n.9. ubi illum explicuit. Ad argum. n.8. propoſitum, quatenus probat nunquam eſſe culpam venialem, eam retroceſſionem abſque cauſa factam, dic, eam rationem probare non eſſe culpam ex ſe, at ex parte deſertionis horum ordinum: ac poteſt inveniri culpa venialis levitatis, & inconſtantiæ in bono incepto: ut n.11. explicuit: & dixit bene *Sylveſt. ibi allegatus.* 14

Quæſtio ultima. Qualiter peccet recipiens primam tonſuram, aut ordines minores, ſine animo ulterius aſcendendi? *Bannes 2.2. qu.12. art.1. pag.674. §. Sit ultima Concluſio*: & multi ex diſcipulis D. Th. cenſent eſſe culpam mortalem. Et quamvis *Bannes ibi* videatur non ita abſolute tradere eam ſententiam, ait enim eſſe culpam mortalem, ſuſcipere minores ordines cum animo retrocedendi ab illis, ea ſola intentione, ut interim gaudeat ſuſcipiens privilegiis clericalibus: at *col. ſeq. §. Sed eſt argumentum*, clare ſentit eſſe mortale recipere animo ſolo retrocedendi. Ducitur, quoniam novitius tenetur bona fide religionem ingredi, ut experiatur an ſibi conveniens ſit: & derelinqueret lethaliter, ingrediens animo retrocedendi, quia Eccleſiaſtica jura concedunt initiatis ordinibus minoribus facultatem retrocedendi, non tamen ut poſſint animo retrocedendi ſuſcipere. Sicut etiam contingit in novitio. 15

I. Tamen Concluſio ſit. Qui initiatur prima tonſura, aut ordinibus minoribus, non tenetur animum ad ſacros ordines aſcendendi habere: quare abſque ea intentione poteſt illis inſigniri. Prob. quia nullo jure talis intentio petitur initiandis nec *Trid. ſeſſ.23. de refor. c.4.* ubi conditiones initiandi his ordinibus explicuit, hujus meminit. Deinde, quod Epiſcopus diſpenſare poſſit cum illegitimo ad ordines minores *c.1. de filiis presbyt. in 6.* qui tamen ad ordines ſacros aſcendere nequit, propter irregularitatem. Sic docent *Nav. ſumm. Latin. c.25. n.108. & Hiſpan. cap.28. addit.2. ad nu. 108. c.25. Aragon. 2.2. q.12. art.1. dub.1. Petr. de Ledeſ. de ſacram.* ubi de ſacramento ordinis, *c.7. poſt 3. concl. §. De la primera corona, col.20. f.842. Manuel 2. tom. ſumm. 2. edit. c. 17. n.2. concl.2. Vega 2. t. ſum. c.57. caſ.11.* Quare ſi haberet animum retrocedendi determinatum, judicanda eſſet ea voluntas ſicut & ipſa retroceſſio: & ſicut retroceſſio nunquam eſt culpa mortalis: (ut probavi n.10.) ſed aliquando venialis, & aliquando nulla, juxta tradita nu.9. 11. & 12. Ita etiam ipſa voluntas culpa efficietur, aut illa vacabit. Non enim voluntas aliquid faciendi pejor eſt ipſo facto, imo ab ipſo malitiam, aut bonitatem accipit. Nec obſtat ſolutio, quam tradit *Bannes*, nimirum, id verum eſſe, ubi eædem circumſtantiæ concurrunt in voluntate, & in facto, ut contingit in novitio, qui non peccat reſiliens, at reus eſſet culpæ mortalis eo animo ingrediens. Sed hoc non obſtat: quia teneretur probare malitiam ſpecialem inveniri in volitione hac, quæ in ipſo facto non reperiatur. Cujus contrarium probavimus: cum nullo jure talis intentio permanendi in ordinum miniſterio, & ad ulteriores aſcendendi petatur. Nec eſt ſimile de novitio, ut n.20. probavimus, oſtenſa differentiæ ratione. Si autem ſuſcipiens ordines minores anceps ſit, an ulterius progredietur, an potius reſiliet, nullo modo peccat, Sicut nec religionem eo animo dubio ingrediens. Annus enim novitiatus jure præſcriptus, ad id conceditur, ut novitius experiatur, firmetque permanendi voluntatem, aut reſiliat. 16

17 II. Concluſio. Si ordines minores, aut primam tonſuram accipiens, ſolum intendat declinare juriſdictionem fori ſæcularis, nonnulla culpa eſt, quod deficiat recta intentio ordines ſuſcipiendi. Imo eam eſſe mortalem exiſtimant *Petr. de Ledeſ. Arag. Manuel, cit. n. præced. Bannes relatus n.15.* Ducuntur, quod hic decipiat Eccleſiam in re gravi. Et Epiſcopus illius intentionis conſcius non poſſet eum abſque peccato mortali ad ordines admittere. Contraveniret enim juſto Triden. præcepto, *ſeſſ.23. c.4. de refor.* Quare *Victor. ſum. de ſacram. ordin. n.240.* dicit Epiſcopum irritantem prima tonſura eum, quem novit recta intentione inſerviendi choro carere, peccare plus quam venialiter. At non video culpam mortalem. Quia nec finis eſt mortalis, nec debiti finis perverſio culpam mortalem inducit; maxime in his ordinibus, quos non eſſe ſacramenta, nec gratiam conferre, eſt probabiliſſimum. Nec *Triden.* aliquam ipſis initiandis in hac re obligationem imponit. Quare mitius locutus eſt *Navar. c. quando Latine c.7. n.15.* ubi tunc agnoſcit peccatum mortale in ſuſcipiente ordines minores, quando intentio mortalis eſt, nimirum, ut ordines ſint ſibi quaſi occaſio, & anſa libere injurias ulciſcendi, alioſque offendendi, abſque judicii ſæcularis timore ſubeundi.

18 Hinc deducitur contra *Bart. a Led. de ſacram. ord. dub.5. concl.2.* non peccare Epiſcopum conferentem ordines minores, aut primam tonſuram ei, qui non habet intentionem ulterius aſcendendi. Quia nullo jure id ſibi interdicitur, nec *Trid. ſeſſ. 23. c.4. de refor. & c. nullus, de tempor. ord. in 6.* quibus ipſe innititur, id probant. Nam *Triden.* eam intentionem in promovendo non petit, & *c. Nullus*, ſolum deciditur minores ordines non eſſe conferendos conjugatis, niſi ad ordines ſacros, aut religionem aſcendere velint, caſu quo eum aſcenſum jura permittunt. Unde potius inde ſumitur, argumento deducto a contrario ſenſu, eam intentionem in ſolutis minime deſiderari. Præterea, quia *c.1. de filis presb. in 6.* conceditur Epiſcopo, ut ex diſpenſatione promoveat illegitimum ad ordines minores: quem tamen conſtat, nec poſſe ad ſuperiores aſcendere.

19 Verum laude digni ſunt Epiſcopi, qui primam tonſuram conferre nolunt pueris, niſi ipſi adulti ſint, alias eorum parentes, jurent, bona intentione aſcendendi poſtea ad ordines ſacros, ſe velle ordines minores, aut primam tonſuram. Quia ſic adeſt bona intentio in ordines ſuſcipiente: & non aufertur retrocedendi libertas. Ita *Navar. c. Quando Latine, c.7. n.17. & c. Si quando, de reſcript. excep.13. n.7.*

20 Ad argum. n.15. propoſitum reſp. diſparem eſſe rationem. Quia novitius decipit in re gravi religionem, a qua alimenta accipit, & cujus ſecreta, & inſtitutum ipſi panduntur, nec poſſet admitti, niſi cum animo, quantum in ſe eſt, perſeverandi, Quæ in initiato minoribus ordinibus non procedunt.

DISPUTATIO XXXII.

An ſola conjugis licentia ſufficiat ad profeſſionem alterius conjugis poſt matrimonium conſummatum, an potius utriuſque profeſſio deſideretur, aut ſaltem votum continentiæ manentis in ſæculo?

SUMMARIUM.

Quid exigatur ut matrim. conſummato alter conjux ad religionem tranſeat? Refertur quædam ſententia, num.1.

Proponitur vera ſententia, 2.

An ſit neceſſaria licentia Epiſcopi, & explicatur c. Si vir, & uxor 27. q.2. n.3.

An deſideretur conjugis juvenis profeſſio; an potius ſat ſit incluſio in monaſterium, ne vagetur: ut alter poſſit legitime profiteri? num.4. & ibi, an ſufficiat profeſſio Equitum D. Joannis.

Utrum ſat ſit votum temporale caſtitatis conjugis ſenis in ſæculo? 5.

An id votum caſtitatis conjugis manentis in ſæculo, efficiatur ſolemne, eo ipſo, quod alter profitetur, ita ut poſt profitentis obitum nequeat valide manens in ſæculo matrim. inire? Refertur duplex ſentent. n.6. & 7.

Proponitur ſententia authoris, & declaratur, an ſi nondum matrim. ſit conſummatum, ſtatim ac alter profitetur, poſſit manens in ſæculo cum voto caſtitatis, valido matrim. copulari? 8.

An ſufficiat ſenem ſuſpectum de incontinentia, votum caſtitatis emittere, ut alter profiteatur? Et quid hac in re diſtet inter juvenem, & ſenem? 9.

An ſufficiat votum conjugis juvenis in ſæculo, ubi ita honeſtæ vitæ eſt, ut nulla incontinentiæ ſuſpicio adſit? 10.

An ſatis ſit idem votum uxoris ſenis non ſuſpectæ de incontinentia, ſed de aliis pravis moribus: & an tunc ſit revocandus vir profeſſus, ut ipſam cohibeat? 11.

An conjux ſenex manens in ſæculo cum continentiæ voto, vivens turpiter, aut incontinenter, poſt alterius profeſſionem, cogendus ſit religionem ingredi? 12.

An conjux egreſſus ante profeſſionem ſit reddendus conjugi, de cujus licentia, voto caſtitatis emiſſo, ingreſſus fuerat; & id votum adhuc obliget manentem in ſæculo? 13.

An volente conjuge ratam habere profeſſionem conjugis ſine ſua licentia factam, opus ſit ipſum quoque, ſi juvenis ſit, profiteri? an ſat ſit ut voveat caſtitatem: & quid, ſi hic vivat incontinenter? 14.

Qua ætate dicatur conjux ſenex, ut ſufficiat votum caſtitatis ad alterius profeſſionem? Refertur quædam ſent. 15.

Proponitur ſent. Authoris; & explicatur qua ætate reddantur ſteriles ſenes, ſive maſculi, ſive feminæ, 16.

An eadem ætas reddat ſenes, maſculos & feminas, qua ratione ætatis a jejunio excuſentur, & quæ ſit ea ætas? num.17.

HActenus diſputatum eſt, qualiter profeſſio, & ordo matrimonium præcedentia, illud diſſolvant. Jam agendum eſt qualiter matrimonio conſummato ſupervenire poſſint. Nec ſermo eſt habendus, quando matrimonium nondum conſummatum eſt: aut quando alter in adulterium eſt lapſus, quod de priori quæſtione egerim lib.2. diſp.18. & ſequentibus. De poſteriori autem acturus ſim lib.10. diſp.10. & ſequentibus. Quamobrem tantum in præſenti diſcutiendum eſt, quando poſt matrimonium conſummatum, altero conjuge non adulterante, liceat alteri ad religionem, ordines, Epiſcopatum, Cardinalatumve tranſire. Et primo quidem de tranſitu ad religionem ſermo erit, deinceps de tranſitu ad alias. Petit ergo diſputatio præſens, quid exigatur ut licite, & ſecundum juris canonici definitionem poſſit alter conjux de alterius licentia ad religionem tranſire? Qua in re *Angel. v. Matrimonium, 4. n.8.* dicit poſſe conjugem de licentia alterius ad religionem tranſire, quamvis manens in ſæculo non voveat continentiam: ac proinde ſolam conjugis licentiam videtur petere. Quo fundamento duci poſſit, me prorſus latet: cum id ſit contra apertam juris canonici definitionem (ut num. ſeq. oſtendemus.) Quare ſuſpicor mentem ejus ſolum eſſe, id ſufficere, ut valeat profeſſio, quod veriſſimum eſſe diſp. ſeq. dicemus. 1

Certiſſimum igitur eſt, ut ſit licitus ingreſſus alterius conjugis poſt matrimonium conſummatum ad religionem, minime ſufficere licentiam alterius manentis in ſæculo, ſed ſi manens in ſæculo ſit ſenex, & abſque incontinentiæ ſuſpicione, deſiderari ut votum caſtitatis emittat: ſi autem juvenis, id non ſufficere, ſed opus eſſe ut pariter religionem ingrediatur. Habetur expreſſe de ingreſſu viri in religione, *c. Cum ſit, de converſ. conjug.* ibi: *Probibemus ne virum, vel uxorem, (niſi uterque ad religionem migraverit) tranſire permittas. Verum ſi ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo, diſſimulare poteris, ut ea in ſæculo remanente, & caſtitatem promittente, ad religionem tranſeat vir ejuſdem.* Et idem definitur *c. Uxoratus, eod. tit.* Atque de alterutrius conjugis ingreſſu deciditur idem *c. Ad Apoſtolicam, eod. tit.* ibi: *Non eſt alter conjugum recipiendus ad obſervantiam regularem, niſi reliquus perpetuam continentiam promittat; ſed & vitam debet mutare: niſi forte ſit ejus ætatis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo emanere.* Et juxta horum textuum diſtinctionem debet intelligi *c.1. eod. t.* ubi virum de monaſterio revocandum decernitur, niſi uxor ad religionem tranſierit, aut continentiam in ſæculo voverit, non enim alterutrum horum ſemper ſufficit, ſed cum manens in ſæculo eſt juvenis, neceſſarius eſt utriuſque ingreſſus: ſi vero ſenex, ſatis eſt, ut in ſæculo voveat continentiam. Prout alii textus expreſſere. Atque ita univerſi Doctores in hoc conveniunt. Vel textus hic non agit de requiſitis ad licitam profeſſionem: ſed ut profeſſus non ſit officio judicis revocandus, aut ad conjugis petitionem: ad quod ſatis eſt votum continentiæ manentis in ſæculo, quantumcumque juvenis, ut dicemus diſp. ſeq. n.9. 2

Dubitabis autem utrum ſit neceſſaria licentia Epiſcopi? Eam eſſe neceſſariam videtur ſuaderi ex *c. Si vir, & uxor 27. q.2.* ibi: *Si vir, & uxor divertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerit vita, nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat.* Quod eſt deſumptum ex Synodo Eugenii Pontificis, & *c.1. de converſ. conjug.* ponderatur ignorante Epiſcopo præſtitam eſſe licentiam. Atque ita clare ſupponitur eam fuiſſe neceſſariam. Et ita videtur ſentire *gloſ. eod. cap.1. v. Revocari*, dicit enim ſi conjux ſenex ſit, ſat eſſe votum ejus in ſeculo, interveniente Epiſcopi authoritate. Et eam exigi docent *Hoſtien. c. Cum ſit, n.3. ſuper v. Permittas, de converſ. conjug. & cap. Uxoratus, n.un. ſuper v. Publice, eo. to. & ibi Jo. Andr. n.1. ſuper v. Conſpectu Eccl. Anchar. ibi n.4. notab.4. Ant. num.4.* 3

Card.

Card. in fin. Et expreſſe eſſe de ſubſtantia valoris profeſſionis, videtur tenere Guillel. Borril. 4. d.52. q.un. ar.2. poſt 1. concl. caſ.1. ubi agens de conjugis profeſſione, ait ut ſit hoc validum, requiri licentiam uxoris authoritate Epiſcopi conceſſam, & Majol. l.1. de irreg. c.4. n.5. ubi ait ad conjugum converſiones validandas decretum Epiſcopi requiri: & nu.7. ait deficiente Epiſcopi decreto nudum conjugis conſenſum non ſufficere. Verum ut res hæc clare explicetur, poteſt ea Epiſcopi licentia eſſe ad tria requiſita. I. eſt, ad valorem profeſſionis. II. ut recte fiat, quaſi ſub præcepto ſit ea petenda. III. ne conjux quamvis legitime profeſſus poſſit revocari ad conjugem manentem in ſæculo: ſicut revocari poteſt, quando conjux manens in ſæculo non vovit continentiam, ac conceſſit licentiam: ut dicitur cap. 1. de converſ. conjug. & diſp. ſeq. declarabimus, quamvis tunc profeſſio fuerit valida. Quantum ad primum, cenſeo eam Epiſcopi licentiam non eſſe neceſſariam ad profeſſionis valorem. Quia d. c. Si vir, & uxor, ubi ea licentia petitur, non irritatur profeſſio aliter facta. Idque aperte colligitur ex c.1. de converſ. conjug. in fin. a contrario ſenſu, ubi dicitur virum qui ignorante Epiſcopo de licentia uxoris profeſſus eſt, revocandum non eſſe, ſi uxor voverit caſtitatem. Sentit ergo textus ex defectu licentiæ Epiſcopi nil offici profeſſioni. Et ita ſentiunt gl. dict. c.Si vir, v.Conſcientia, & ibi Archid. n.1. Bellam. n.un. Turrec. n.un. Feder. conſ. 37. ad fin. Jo: And. c.1. n. 1. de converſ. conjug. & ibi Ant. n.5. Abb. n.3. Card. qu.2. idem Abb. c. Uxoratus, n.7. & c. Ex part. el.1. n.2. eod. tit. Aret. conſ 59. nu. 9. verſ. Pro his facit. Et ex Theologis, Scot. 4. d.32. q.un. & ibi Majol. q.2. concl.6. Supplem. Gabr. ibi, q. 1. art.2. concl. 9. Sot. 4. d.27. q.1. ar.4. col.15. paulo ante verſ. Id autem. Quare dum l. reg. 2.t.10. p.4. ait hoc authoritate Epiſcopi faciendum eſſe: non intelligit eam eſſe requiſitam ad profeſſionis firmitatem, ut bene intelligit ibi Gregor. Lop. v. Del Obiſpo. Quoad ſecundum, videntur ea verba d. c. Si vir, Nullatenus ſine Epiſcopi conſcientia fiat, inducere præceptum. At dicendum eſt non eſſe præceptum, ſed de honeſtate deſiderari licentiam Epiſcopi, ut docent ibi Archid. n.1. ſuper v.Fiat, & ibi Bellam. n.un. & ibi Laurent. per ipſos citatus. Jo: Andr. c. 1. nu. 1. & ibi Card. qu. 2. de converſ. conjug. Federic. proxime alleg. Tum quia non eſt certum, id c. Si vir, loqui in hoc caſu. Et ita gl. ibi, v. Conſcientia, ait poſſe intelligi, quando conjugati volunt monaſterium conſtruere, ad quod tranſeant. Id enim ſine Epiſcopi facultate ædificari nequit, c. Nemo, de conſecr. d.1. Tum etiam, quia conſuetudine receptum eſt, ut ea licentia non petatur, ut teſtantur Jo: Andr. & Cardin. proxime allegat. Quoad tertium, exiſtimo nil ad rem facere defectum licentiæ Epiſcopi, aut eam interveniſſe, quoad revocationem, & ita ſi conjux eſt profeſſus ſine licentia alterius non intrantis religionem, nec voventis continentiam, poterit revocari, quamvis ex Epiſcopi licentia id effectum ſit: ſi vero alterum fecit, non poterit revocari, quamvis Epiſcopi licentia defuerit. Quod clare ſentit Hoſt. cap. 1. de converſ. conjug. ſtatim in princ. ſuper v. Ignorante, ubi eum textum ponderantem, ingreſſum factum fuiſſe Epiſcopo ignorante, explicat, ideſt, maxime Epiſcopo ignorante, quaſi dicat idem eſſe ſi ſciente: atque ita ſcientiam ejus vel ignorantiam nil conferre. Et melius Ant. ibi n.5. ubi ait, ſi nondum facta eſſet profeſſio, poſſe Epiſcopum revocare donec cognoſcat, an legitimus fuerit ingreſſus. Sentit ergo facta profeſſione non eſſe revocationi locum: quod Epiſcopi authoritas in egreſſu deſiderata ſit. Et de hac revocatione profeſſi, eo quod manens in ſæculo non fecerit votum, ut late diſp. ſeq. habendus ſermo.

4 Rurſus inquires, an hic tranſitus ad religionem conjugis juvenis, quo alter licite profiteatur, debeat eſſe ad profeſſionem emittendam? an potius ut ibi incluſus a vagationibus arceatur, ac proinde conſultum ſit incontinentiæ periculo? Palac. 4 d. 27. diſp.2. col.33. verſ. Quo circa, f.589. cenſent non deſiderari hujus profeſſionem, ſed ſatis eſſe dictam incluſionem. Quod poteſt probari ex c.Uxoratus, verſ. Si autem talis, de converſ. conjug. ibi: ſi autem fuerit talis, quæ ſuſpicione non careat, voto continentiæ celebrato a ſæcularium hominum converſatione removeatur. Ceterum dicendum eſt, neceſſarium eſſe, ut conjux ille juvenis profiteatur, quod aperte probant ea verba, d.c. Uxoratus, quæ immediate ſequuntur. Et in loco religioſo, ubi Deo ſerviat, perpetuo commoretur. Nam ſi ingrediatur ſolum, ut arceatur a vagationibus, monaſterium eſſet ſibi carcer: non autem intraret, ut Deo ſerviat. Et melius id probatur ex c. Cum ſis, de converſ. conjug. ibi: Niſi uterque ad religionem migraverit. Et cap.2. eod. to. ibi: Niſi uxor ad religionem tranſierit. Non enim tranſit ad religionem, qui non profitetur. Et ex c.Agathoſa, 27. q.2. ibi: Poſtquam copulatione conjugis, viri atque mulieris, unum corpus efficitur, non poteſt ex parte converti, & ex parte manere in ſæculo, quod idem traditur c.Ad Apoſtolicam, de converſ. conjug. At non dicitur converti, ſed in ſæculo manere, ſi non profiteatur. Et ideo ita ſentiunt Abbas eod. c. Uxoratus, n.3. & c.Accedens, n.2. de converſ. conjug. Et ad id cap. ubi vir profeſſus eſt, & mulier tranſit ad religionem habitu non aſſumpto, nec animo profitendi, reſpondet Abbas eod. n.2. narrari ibi factum, & non ſtatui jus. Idem Brunell. de ſponſal. concl.40. n.16. Sylv. v. Divortium, q.13. d.2. Sot. 4. d.17. q.1. art.4. col. antep. verſ. Poteſt, & unus, Palac. ſibi contrarius 4. d.32. d.2. col.10. f.718. in verſ. At urgentior eſt, Pet. de Ledeſ. de matrim. q.64. ar.4. dub.1. concl.ult. Bart. a Ledeſ. de ſacram. ordin. dub. 14. col. ult. Cannedo ſum. ſacramentorum, tr. de matrim. c. 7. n. 54. in comment. Vega 2.tom. ſumm. c. 34. caſ. 103. Nec ſat eſt, ſi profiteatur vir aſſumpto habitu equitum D. Joannis. Quia etſi ea ſit profeſſio ſolemnis, at ii manent in ſæculo cum periculo incontinentiæ. Cujus contrarium petitur d.c. Uxoratus.

5 Nec ſufficit votum temporale conjugis ſenis in ſæculo manentis, nimirum dum conjux profeſſus ſuperſtes fuerit. Conſtat ex c.1. de converſ. conjug. ibi: Niſi uxor ad religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſervare promiſerit. Et cap. Ad Apoſtolicam, eod. tit. ibi: Niſi reliquus perpetuam continentiam repromittat. Atque ita docent Hoſtien. c. Uxoratus, n.un. ſuper v.Continentiam, de converſ. conjug. & ibi Joan. Andr. n.1. Idem Jo: Andr. d. c. Ad Apoſtolicam, nu. 1. & ibi Ant. 2. Idem Anton. d. c.1. nu.2. Monal. ſum. ubi de voto, tit. De voto conjug. verſ. Similiter uxor.

6 Graviter autem eſt difficultas, an id votum caſtitatis conjugis manentis in ſæculo efficiatur ſolemne, eo ipſo quod alter profitetur: ac ſubinde irritum reddat matrim. contractum contra id caſtitatis votum a manenti in ſæculo poſt obitum profeſſi. Id enim affirmant quidam, quod cum vir, & uxor ſibi invicem actiones communicent, c. Martinus, de cognat. ſpir. c.Si quis unus 30. q.4. ſolemnitas conjugis profeſſi redundet votum ſimplex conjugis ſæcularis reddens illud pariter ſolemne. Ita docent Goffred. ſum. tit. de converſ. conjug. n.2. & n.ult. Hoſt. ſum. eod. tit. n.3. & c.1. in fin. & c.Ad Apoſtolicam, n.1. de converſ. conjug. Abb. c.Conſtitutus, n.3. eod. t. Anchar. c.un. nu.3. notab.4. de voto in 6. & ibi Domin. n. 14. fin. Palud. 4. d.38. q.3. ar.5. concl.1. n.29. Suppl. Gabr. 4. d.32. q.1. ar.2. immediate ante 9.concl. Aſtenſis ſumm. 2.p. l.8. t.11. ar.2. q.9. Turrec. c. Seriatim, d.32. ar.4. n.7. Quamvis ex his Suppl. Gabr. & Turrec. dicant votum ſolemnizari, at nullam hujus rei rationem explicant. Et per id votum manentis in ſæculo dirimi matrim. ſubſequens, affirmat Henric. c. Uxoratus, n.12. de converſ. conjug. at non reddit rationem. Limitat Goffr. n.ult. Hoſt. triplici loco alleg. Aſtenſ. Henr. Supplem. Gabr. ſi mulier conſcia erat præjudicii ſibi ſecuti ex profeſſione viri cui conſenſit votum caſtitatis emittens: alias enim ſolo voto ſimplici aſtricta manebit: ac proinde valebit matrim. ſubſequens. At limitationem hanc negat Turrec. Limitat etiam Aſtenſis, quando id votum in ſæculo emiſſum eſt in manu Epiſcopi, vel de ejus licentia. Ejuſdem ſententiæ videtur D. Bonav. 4. d.37. in expoſ. litt. ubi dicit, ſi vir de licentia uxoris data in conſpectu perſonæ per quam ſecundum formam Eccleſiæ poſſit fieri divortium, profiteatur uxorem obligari ad perpetuam continentiam cum viro: nec poſſe nubere poſt mortem: nec juris ignorantia excuſari. Quia eſt eadem caro cum ipſo.

7 Alii admittunt per id votum manentis in ſæculo dirimi matr. ſubſequens: atque id votum ſolemne fieri: diſcrepant tamen in ratione: id enim dicunt conſurgere, non ex actionum communicatione: ſed ex ſtatuto Eccleſiæ, quæ id decrevit quando vir de licentia conjugis voventis in ſæculo, ad ordines tranſiit. De qua re dicemus diſp.40. Ita ſentire videntur Jo: Andr. cap. Cum ſis, in fine, de converſ. conjug. & ibi Anchar. fine, referunt enim utramque ſententiam, & hanc in ultimo loco.

8 At exiſtimo nulla ratione id votum effici ſolemne. Quia voti viri ſolemnitas nequit in uxoris votum redundare: exigitur enim voventis intentio, quæ non adeſt, niſi ad votum continentiæ ſimplex emittendum: & eſto ea intentio adeſſet, non poteſt fieri votum ſolemne, niſi in profeſſione religionis approbatæ: aut in ordinis ſacri ſuſceptione, c.un. de voto in 6. Et textus n.6. allegati probantes communicare actiones, inter conjuges ob carnis unitatem loquuntur in actionibus, ad quas non tam requiritur interventus animi, quam corporis actus, ut in compaternitate. Et quidquid ſit de ordine ſacro a viro de licentia uxoris aſſumpto: at in profeſſione nullus extat textus decernens viro de licentia uxoris profitenti, reddi ſolemne votum ſimplex uxoris in ſæculo factum, quoad matrim. ſubſequentis diſſolutionem. Et cum ſit res valde odioſa, & in matrim. præjudicium, non venit extendenda. Atque ideo hanc ſentent. tuentur, gl. c. Seriatim, v.Poſt mortem, d.32. Card. c.Cum ſis, in fin. de converſ. conjug. & clem.un. nu.18. qu. 22. de conſang. Monaludi de voto, to. de voto conjugator. verſ. Item quid ſi licentiam. Et addunt hi duo (& optime) matrim. poſt obitum viri profeſſi initum ab uxore eſſe validum, quamvis peccet contra votum ſimplex. Cavendum tamen eſt a Palud. 4. d.27. q.3. ar.2. concl.2. n.11. & ibi Suppl. Gabr. qu.2. art.2. dub.8. caſ.2. ubi dicunt, ſi vir profiteatur ante conſummatum matrim. uxore voventi in ſæculo caſtitatem, eſſe uxorem inhabilem matrim. dum vivit conjux profeſſus, non ratione voti ſimplicis: ſed quia tunc per profeſſionem conjugis non dirimitur matrimonium ratum. Quod reprobavi lib.2. diſp.20. n.4.

9 Sed quid ſi conjux ſenex in ſæculo manens ſuſpectus ſit de incontinentia: an tunc ſufficiat ejus votum in ſæculo: an potius deſideretur ut ad religionem tranſeat. Videtur enim votum ſufficere. Quia alias jura perperam ponderarent ætatem, c. Cum ſis, & c. Ad Apoſtolicam, de conv. conjug. Si quidem potius periculum incontinentiæ attendendum eſſet. Præterea quia cum leges reſpiciant, quæ communiter accidunt. l.Nam eam, ff. de leg. nil ad legem immutandam conferre videtur, ſi unus, aut alter conjux in ætate ſenili ſuſpectus de incontinentia ſit: ſed in eo ſervandum erit jus decidens ſufficere votum ſenis in ſæculo manentis.

Cum in ætate ceſſet communiter ea ſuſpicio. Exiſtimo tamen dicendum, non ſat eſſe tunc id votum, quod jura non abſolute ponderent ætatem, ſed ſimul ut conjux de incontinentia ſuſpectus, non ſit c. Cum ſis, ibi: Verum ſi ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo. De conv. conjug. & c. Uxoratus, eod. tit. ibi: Si autem talis fuerit, quæ ſuſpicione non careat, & c. Ad Apoſt. eod. tit. ibi: Niſi forte ſit ejus ætatis, ut ſine ſuſpicione incontinentiæ valeat in ſæculo remanere, & c. Significavit, eod. tit. ibi: Si eſt ita, & eſt talis ætatis, de qua ſuſpicio haberi non poſſit. Præterea, quia jura id decrevere, ne conjux religionem profiteatur, manenti altero cum incontinentiæ periculo: atque ita huic periculo conſulere voluerunt. Ergo in quacumque ætate id periculum ſit, non ſatis erit votum manentis in ſæculo. Nec obſtant in contrarium adducta. Quia jura non ſolam ætatem ponderant, ſed etiam ut non præſumatur incontinentiæ periculum. Quare exiſtenti ſenectute non præſumetur tale periculum, & dabitur licentia profitendi alteri conjugi, manente ſene in ſæculo, cum ſolo voto. Verum ubi de eo periculo conſtaret, ceſſabit præſumptio: & proinde ea licentia denegabitur. Nec obſtat etiam ſecundum. Quia lex hæc edita eſt ad conſulendum bono privato conjugis relicti in ſæculo: ut ejus incontinentia caveatur. In quo eventu ſatis eſt ceſſare finem in particulari: ut contingit in lege correctionis fraternæ, quæ ad fratris emendam tendit: & ita ceſſante in hoc particulari, ceſſat in illo. Et ita ſupponunt DD. n.11. allegandi, qui tanquam rem claram ſupponunt quando uxor ſenex eſt ſuſpecta de incontinentia, non concedi viro ingreſſum in religionem: & ſolum dubitant, quando de aliis moribus pravis eſt ſuſpecta: & adhuc tunc licere negant. Et fere expreſſe tenet Card. c. Cum ſis, n.1. oppoſit.2. de conver. conjug. ubi ait ad viri profeſſionem peti in eo textu duo copulative, nempe, ut uxor ſit ſenex, & ſterilis, ita ut ſine ſuſpicione incontinentiæ poſſit eſſe in ſæculo. Et Hoſt. ibi n.4. ſuper v.Sterilis, ſic ait: Quaſi dicat, ſi proceſſit in diebus ſuis, ita quod ſit annoſa, honeſta, & maturata. Et Ant. c. Uxoratus, n. 1. eod. tit. ubi ſic inquit: Niſi remanens in ſæculo tranſierit dies ſuos, ita quod non ſit ſuſpicio incontinentiæ, ſuſpicione autem ſubſiſtente non poteſt vir ingredi religionem, niſi mulier ingrediatur. Quod eiſdem verbis tradit Victor. ſum. ubi de matr. n.253. & fere expreſſe docent gl. cap. Conjugatus, v.Continentiam, de converſ. conjug. Goffr. ſum. eod. tit. n.6. Ant. c. 2. n.7. de cler. conjug. Sotus 4. d.27. q.1. art.4. col. antep. verſ. Poteſt & unus, & ibi Palac. diſp.2. col.24. f. 584. verſ. Sed quid ſi facta, Ovand. 4. d.27. fin. ubi petunt, ut conjux manens in ſæculo ſit ſenex, & ſine incontinentiæ ſuſpicione: quaſi alterum minime ſufficiat, & clarius Sylv. v. Divortium, q.13. d.2. ubi petit non eſſe timorem de incontinentia, quod conjux ſit grandævus, & vitæ honeſtæ. Idem Abb. c. Ad Apoſtol. nu. 1. de conv. conjug. Cov. 3. decret. 2.p. c.6. §.3. n.3. Ant. Cuc. l.5. inſt. major. t 12. n.223. ubi disjunctive dicunt non ſufficere votum, ſi conjux manens in ſæculo ſit juvenis, aut de incontinentia ſuſpectus.

10 Nec etiam ſufficiet votum prædictum, ubi conjux manens in ſæculo eſt juvenis: quamvis ita honeſtæ vitæ ſit, ut nullus incontinentiæ timor ſubſit, quod conſtat ex textibus n. præced. relatis, qui ætatem ponderant, & nullum ratione illius ſubeſſe periculum. Et ratio eſt aperta, quoniam juventus variis ſemper incontinentiæ caſibus valde ſubjecta eſt, atque ab inceptis facile deſiſtit: cum variis ac urgentiſſimis carnis illecebris paſſim agitetur. Et in propriis terminis loquentes de femina juvene, non ſuſpecta de incontinentia ratione honeſtæ vitæ, non ſufficere ejus votum in ſæculo ad profeſſionem viri tradunt Jo: Andr. c.Conjugatus, in fine, & ibi Anchar. in fin. de converſ. conjug. & ibi Ant. in fine, & ibi Abbas n. 4. quamvis feminæ ſpeciali inconſtantiæ nota inurantur, ut eruditiſſime tradit Tiraq. lib.9. connub. n.129. & ſeq. At viri majoribus periculis expoſiti ſunt: eo quod liberius vagentur. Et ita experientia ipſa docet, multo frequentius eſſe, viros juvenes in incontinentiam labi, quam feminas.

11 Nec ſimiliter prædictum votum ſatis erit, quando uxor ſenex manens in ſæculo non eſt ſuſpecta de incontinentia: eſt tamen de aliis perverſis moribus, ut ſi timor ſubſit fore, ut viri cura deſtituta, fiat incantatrix, venefica, uſuraria, vel quid ſimile; Quia eadem ratio videtur in aliis malis moribus, ſicut in ſuſpicione incontinentiæ. Quia cum non expediat uxoris ſaluti virum tunc profiteri, id permittendum non eſt. At ſi contra fiat, tenet omnino ingreſſus. Quia principaliter hic conſideratur incontinentiæ periculum; eo quod illa adverſetur bono fidei, quod eſt unum ex tribus matrim. bonis. Ita docent Jo: Andr. c.Ad Apoſtolicam, n.3. de conver. conjug. Ant. nu. 3. Abb. n.4. Anchar. fin. Card. fin. Lancel. inſtit. juris canon. l. 2. tit. De divort. §. His exceptis, v. Incontinentiæ.

12 Quod ſi conjux ſenex relicta in ſæculo cum continentiæ voto, id non ſervet poſt viri profeſſionem, ſed incontinenter vivat, cogetur ingredi monaſterium, ut colligitur a contrario ſenſu, ex c. Significavit, de conver. conjug. ibi: Si eſt talis ætatis, de qua ſuſpicio haberi non poteſt, ipſam votum continentiæ obſervantem intrare monaſterium compelli non permittatis. Sic Hoſt. c.Placet, n.2. & ibi Carden. n.2. qu.2. Jo: Andr. nu.2. Ant. nu.7. de conjug. Abb. c. Ad Apoſtolicam, fin. eod. tit. Anchar. d. c.Placet, n.4. q.1. in fin. Qui explicat cogendum quoque eſſe profiteri: ceteri ſolum dicunt cogendum ingredi, & de profeſſione ſubticent ſicut & textus d. c. Significavit, eodem modo locutus eſt. Sed durum mihi videtur cogendum eſſe profiteri, quod non videam textum expreſſe id decidentem. Præterea, quia conjux hic non vovit religionem; & durum eſt ipſum obligare ad rem tam arduam, ut melius ſervet caſtitatem, & ab incontinentia arceatur. Deinde, quia (ut diſp. ſeq. videntibus) magna eſt diſſenſio, an uxor juvenis, ac proinde ratione ætatis ſuſpecta, vovens in ſæculo continentiam, ſit cogenda profiteri, an tantum in monaſterium detrudenda, ut periculum ceſſet. Et quamvis in eo caſu verior ſententia diſtinguat, an mulier ſit juris conſcia, necne; at in hoc eventu non poteſt habere locum ea diſtinctio. Nam jura jubent c. Cum ſis, c. Ad Apoſtolicam, de converſ. conjug. ut uxor juvenis tranſeat ad religionem, quo vir legitime profiteatur; ac proinde uxor talis juris conſcia, & dans licentiam viro profitendi, voto caſtitatis a ſe emiſſo, cenſetur ad religionem ſe aſtringere. At quando uxor eſt ſenex, & non ſuſpecta, contentum eſt jus ſolo voto continentiæ in ſæculo. Quare ipſa voto ſuo ad id nec expreſſe nec tacite ſe obligavit. Non ergo cogenda eſt profiteri, ſed arcenda in monaſterio ab incontinentia, quod ſi non incontinenter vivat, ſed aliis vitiis vacet, dubitat Abb. d. c. Ad Apoſtolicam, in fin. & in eam partem inclinat, ut compelli debeat ad abſtinentiam a vitiis, non autem ad monaſterii ingreſſum. Quia principaliter non delinquit in fidem matrimonii: quæ in his caſibus ſpecialiter ſpectatur. Et hoc mihi placet.

13 Sed ſi conjux ingreſſus religionem de alterius licentia, exeat novitiatus tempore, eſt cogendus redire ad conjugem manentem in ſæculo, quod effectus licentiæ non ſit ſecutus; ea enim licentia fuit ad ingreſſum cum effectu. Ita Hoſt. ſum. tit. de conver. conjug. n.3. verſ. Illud quidem, l. reg.21. fin. t.7. p.1. & ibi Greg. Lop. v. Salieſſe, qui ita intelligit illam legem non diſtinguentem, an tempore profeſſionis an poſt profeſſionem egreſſus ſit. Hoſtien. tamen loquitur eo caſu quo manens in ſæculo votum caſtitatis non emiſerit. Sed melius Greg. Lop. dicit idem, quamvis voviſſet. Quia votum illud cenſetur factum ob cauſam profeſſionis alterius conjugis & ſub conditione tacita, ſi alter profiteatur. Quare dicit profeſſione non ſecuta ceſſare votum, defectu cauſæ, & conditionis, quod ego intelligo, niſi conjux habuiſſet animum vovendi independenter ab alterius profeſſione. Tunc enim etiam altero non profeſſo ligaretur ſuo voto. Et altero conjuge ſibi reſtituto non poſſet petere, utpote qui voto ſimplici caſtitatis obligatus eſt; at teneretur reddere. Quia conjux ingrediens licentiam vovendi conceſſit dependenter a ſua profeſſione, quod ſi dediſſet licentiam independenter, & abſolute, dicemus lib.10. diſp.36. n.5. & ſeq.

14 Prædicta autem, quæ diximus deſiderari, ut conjux legitime profiteatur, intelligenda ſunt ante factam profeſſionem. Si enim alter conjux abſque alterius licentia profeſſionem faciat, ac manens in ſæculo ratificare velit, non indiget religionis ingreſſu, quamvis juvenis ſit, ſed ſatis eſt ſi in ſæculo caſtitatem voveat. Sed dicunt forte eſſe verum, Hoſt. c.Placet, n.1. ſuper v. Educta, de conver. conjug. Jo. Andr. n. 2. Ant. n.7. Anch. n.4. q.1. Et tenet ibi Abbas n.6. & Aret. conſ.59. n.9. verſ. Pro his facit optime. Et quamvis auctores dicant, manentem in ſæculo debere caſte vivere, & non explicent debere emittere votum caſtitatis: at revera id intendunt; & ita declararunt Ant. & Aret. ibi, quod ſi hoc facere nolit, non proderit ratificatio, ſed cogetur repetere. Quia non permittit jus, alterum eſſe in religione, & alterum abſque voto in ſæculo. Sic Hoſt. Ant. And. Abb. Anch. Et idem dicit Navar. l.3. conſ. tit. de converſ. conjug. priori edit. conſ.3. n.3. poſteriori conſ.6. n.3. quando manens in ſæculo vivit incontinenter.

15 Potiſſima tandem difficultas diſcutienda ſupereſt, an ſit præſcripta ſenectutis ætas, quam adeptus conjux non egeat religionis ingreſſu, ſed poſſit in ſæculo manere, caſtitatis voto aſtrictus, ut alter conjux legitime ad religionem tranſeat? Neminem ex antiquioribus hoc diſcutientem reperi; ſed primus, qui de hac re locutus eſt, & ſane breviſſime, fuit Sot. qui 4. d.27. q.1. art.4. col.12. §. Præterea contra eamdem 1. concl. & col.15. verſ. Poteſt & unus, & ad fin. art. verſ. Quod hic de ſeparatione, & d.38. q.1. art.2. concl.2. fin. & concl.3. fin. quibus in locis, dixit feminam dici ſenem ad hunc effectum, quando eſt ſexagenaria. Et d. art.4. verſ. Poteſt & unus, dicit idem de viro. Et Sotum ſecuti loquentes de viro & femina, Cord. in ſum. q.178. verſ. Empero ſi el matrimonio; Ovand. 4. d. 27. q.un. fin. Angl. Florib. 1.p. ubi de matrim. qu.1. de eſſentialibus ipſius, d.27. art.3. in dub. quod movet poſt 3. diffic. & loquentes de femina dicunt idem, Azor. l.12. inſtit. mor. cap.1. qu.6. §. Si quæras, & l.13. c.14. q.11. ſtatim in princ. Bart. a Led. dub.14. de ſacram. ord. in col. ult. & dub.64. de matrim. concl.2. fin. & ad aliud intentum, ſimile tamen, nempe, quando quiſpiam dicatur juvenis, ut ratione periculi incontinentiæ valeat cum ipſo in inceſtu diſpenſari, dicunt Cord. lib.1. ſui qu. q.12. art.1. col.5. §. Secundum dictum: & Guttier. q.can. l.1. c.23. n.13. tunc evenire, quando nondum eſt ſexagenarius, & allegant communiter annotata c.1. de conver. conjug. unde eam doctrinam clare amplectuntur in hoc caſu. Sed neminem inveni eo cap.1. annotantem: cum multis evolutis libris diligentiſſime quæſierim. Nullus ex his Doctoribus quæſtionem hanc diſcutit, nec rationem, aut textum, quibus innitatur, affert. Sed poteſt probari, quia communiter,

ter DD. exiſtimant ſexagenar. ſenes eſſe, ut ratione ætatis poſſint a jejunio excuſari: ut nu.17. videbimus, & S. Pius V. ac Pontif. ſucceſſores negantes in diplomate cruciatæ facultatem lacticinia edendi, clericis, & religioſis in Quadrageſima, exceperunt ſexagenarios: quaſi hos ſenes reputantes.

16 Sed vere hæc non probant hanc partem. Quia Pontifices in eo caſu ſpeciali ætatem præſcripſerunt: & variis in caſibus diverſimode eſt jure ætas præſcripta, ut poteſt videri in *Menoc. l.2.de arbit.cent.1.caſ.59.* ubi n.5. multis allegatis concludit in caſibus, in quibus nulla extat clara juris conſtitutio, relinqui judicis arbitrio, qua ætate ſenex quis cenſeatur. Cum ergo in hoc ita eveniat, non videtur ea ætas ſexagenaria præſcribenda, ſed id prudentis arbitrio committendum. Præterea, quia non videtur rationi conſonare, eamdem ætatem ad ſenectutem præſcribi in feminis, & in viris, ubi jus non ita clare diſpoſuit, quod femina (ut auctores ſunt *Ariſt. l.7. de hiſtor. animal. c.3. fin. Plin. l.7. natur. hiſt. c.4. Tiraq. l.6. connub. n.38. & l.1. n.57.*) ocyus quam mas, & accreſcant, & ætate floreant, ac ſenectute macerentur. Quia vita in calore ſita eſt: teſtes *Ariſt. in probl. ſect.3. probl.22. & ſect.14. probl.* 10. Cujus ratio eſt, nam anima tandiu corpus informat, quandiu in eo vitæ munia obire poteſt: præcipuus vero vitalium functionum adminiſter eſt calor: at feminæ frigidiores viris ſunt: ex multis probat *Tiraq. l.9. connub. n.142. & ſeq.* Si ergo feminæ brevioris vitæ ſunt, & citius ſeneſcunt, non eadem ſenectutis ætas aſcribenda eſt illis, ſed minor, quam viris. Præterea, quia textus dum ſenectutem petunt, ſubjungunt ita ut ſine continentiæ ſuſpicione poſſit in ſæculo remaneri: (ut n. 9. probavi:) unde ſenectutis menſura ſumenda eſt ex ætate, in qua communiter incontinentiæ periculum non verſatur. At hoc non æque reperitur in feminis, ac in viris; calor enim qui libidinem fovet, ejuſque eſt cauſa, ut latiſſime probat *Tiraq. l.9. connub. n.150. & ſeq.* minor eſt in feminis: & ideo minus eas eſſe luxuriæ deditas late probat *Tiraq. ead. l.9. n.142. & ſeq.* & ſenectute ocyus feminis appropinquante, citius tepeſcit, ac remittitur calor. Cum igitur breviori ætate, & ſenectus adveniat, & periculum incontinentiæ ceſſet in feminis, quam in viris: immerito prudens dijudicabit eamdem ætatem utrique ſexui aſſignandam ad ſenectutem. Tandem, quia textus *c.Cum ſis, de conver. conjug.* clarius explicuit qualis ſenectus deſideretur, ibi, *Verum ſi ita uxor ſenex eſt, & ſterilis, quod ſine ſuſpicione poſſit eſſe in ſæculo.* Ubi *gl. v. Sterilis, & ante fin. Hoſt. n 4. ſuper v. ſterilis*, intelligunt ſteriles non ratione naturæ, ſed ratione ætatis. Feminæ enim natura ſteriles præ ceteris libidinoſæ ſunt: teſte *Tiraq. id ex aliis comprob. l.9. connub. n.*121. Quia cum non ſatis expurgentur, plurimo illas abundare ſpermate eſt neceſſe. Quare textus nos docet ad dijudicandam ſenectutem, attendendam eſſe ætatem, qua conjux ſterilis efficitur: tunc enim libidinis ardor miteſcit, & minus periculi incontinentiæ ſubeſt. At minori ætate femina redditur ſterilis, quam vir, teſte *Ariſt. l.7. de hiſt. animal. c.5.* ubi ait multas feminas anno quinquageſimo peperiſſe, ad ultra id tempus nullam, & *l.5. c.14.* ubi ait maribus ultimum gignendi terminum eſſe annum ſeptuageſimum: feminis vero quinquageſimum, verum id raro: ſed magna ex parte feminis eſſe LXV. maribus vero LXVI. Et *l.7. Polit. c.16.* ait ut plurimum finem generandi eſſe viris LXX. annum mulieris L. Et *Plin. l.7. natur. hiſt. c.24.* docet feminas poſt L. annum non generare, quod adeo verum eſt, ut mirabile, rarum appellarit text. *l.Si major 12. C. de leg. hæred.* ſi femina quinquagenaria concipiat, quod idem tradunt *gl. l. Si paterfamilias, 15. §.ult. v. Sexaginta, ff. de adopt. Betton. l.2. de morbis mulier. c.8. Tiraq. l.6. connub. nu.22. Maſcard. de prob. concl.1152. nu.7. & 8. Menoch. de orbitr. l.2. cent.1. caſ.89. n.56. & ſeq. & de præſump. l.5. præſum.24. n.5. & ſeq.* & demum ſexageſimum annum eſſe jam communiter viris terminum generandi, attento naturali generandi ſtatu, quod ſi contrarium contingat, accidenti potius, quam naturæ tribuendum eſſe colligitur ex textu *d.l. Si paterfamilias, §. ult.* ibi: *Niſi forte minor ſexaginta annis ſit is, qui arrogat, qui magis liberorum procreationi ſtudere debeat.* Et docent ibi *gl. v.Sexaginta, Menoc. d.caſ.89. n.58. & l.7. de præſum. præſum. 47. n.29. Maſcar. d.concl.1152. n.6.* & colligitur ex *Ariſt. l.7. de hiſt. anim. c.6. init.* ubi ait mares plurimos ad LX. annum generare, quem ſi exceſſerint, ad LXX. uſque procedere. Ex his ergo exiſtimo virum ſexagenarium eſſe dijudicandum ad hunc effectum ſenem, ut docent *Auctor. n.præc. alleg.* quod vel ea ætate, vel paulo poſt accidat hodie communiter ſterilitas, & ſit jam proximus interitus, ac calor juvenilis fere extinctus: & communis animi conceptio habeat ſexagenarios ſenes dici. At feminas quinquagenarias credo eſſe ſenes ad eumdem effectum. Quia attento breviori vitæ curſu ipſarum, ac celeriori ſenectutis adventu, tam ſenex eſt mulier quinquagenaria, quam vir ſexagenarius, quod communis exiſtimatio teſtatur: & libidinis ardor ita tepeſcit in illa, ac in hoc, & jam in ea ætate eſt ſterilis, & communiter vere ſenex tunc appellatur, & ſuſpicione incontinentiæ libera creditur.

17 Hinc deducitur pro tractatu de jejunio, quæ ſenili ætate feminæ a jejunii præcepto eximantur. De qua re nullus, quem viderim, agit peculiariter, ſed indiſcriminatim de ſenibus, nec diſtinguendo, feminæ ne an mares ſint. Et varii ſunt DD. in hac re. Quidam enim ætatem ſeptuagenariam aſſignant, in qua communiter ſenes excuſantur a jejunio. Quia ea ætate excuſantur ſenes ab oneribus perſonalibus, *l.ult. C. qui ætatem, l.10.* At jejunium eſt onus non leve. Sic *Gabr. 4. d.16. q 3. ar.1. not.4. Roſel. v. Jejun. n.15.* ubi *Sylv. q. 6. d.2. Tabien. ibi q.17. n.18. Toledo l.6. ſum. c.4. n.2. Lud. Lop. 2. p. inſtr. tr. de ſacram. pœnit.* ubi de jejunio *c.111. paulo poſt princ.* Communis autem ſent. docet eam ætatem eſſe ſexagenariam. Quia cum dies annorum noſtrorum ſint 70. anni, uti habetur *Pſ.* 89. qui ſexagenarius eſt, prope interitum eſt: ſi quidem teſte *Apoſt. ad Hebr.*8. quod antiquatur, & ſeneſcit, prope interitum eſt. Et ita docent *Cajet. 2.2. q.147. ar.4. circa ſolut. ad 2. col.2. §.quoad primam de ſenibus, & ſum. v.Jejunium, c.Jejunium, quibus perſonis excuſabiliter ſit obligatorium, Armill. v.Jejunium, n.3. Navar. ſum. c.21. Hiſp. n.15. Lat. n.16. Metina l.1. ſum. c.14. §.∴ f.100. Pedraza ſum. præc.3. §.13. Angl. Florib. 1. p.* ubi de jejun. *q.6. diffic.6. f.401. Valent. 2.2. diſp.9. q. 2. pun.5. col.2. §.Impotentia de jejun. Emman. Sa ſum. v. Jejunium n.9. Philiar. de offic. ſacor. t.1. p.2. l.3. c.25. §.Cauſæ ob quas cauſ.2. Graff. 1 p. deciſ. l.2. c.37. n.43. Manuel. 1. t. ſum. 2. edit. c.14. n.1.* & dicit probabilem *Azor l.7. inſtit. mor. c.28. q.4.* Alii nullam prorſus ætatem præſcribunt, ſed attendendam complexionem corporis, & robur affirmant, quod quidam ſexagenarii, aut ſeptuagenarii fortiores ſint, ac robuſtiores aliis quinquagenariis. Quare cenſent arbitrio prudentis id committendum, qui attentis viribus obligationem jejunandi, aut exemptionem ab eis dijudicabit. Ita docent *D.Ant. 2. p. t.6. c.2. §.6. verſ.7. Senes, Metina c.De jejunio, qu. de his, qui ab jejunia tenentur, col.2. verſ. Deinde ſenib. Led. 2. p.4. q.17. ar. 3. col.3. §.Præterea de pueris, Palac. 4. d.15. diſp.8. col.20. paulo ante 5. concl. verſ. Porro quia eſt, Manuel. in expoſ. bull e §.6. dub.2. Vega 1. t. ſum. c.14. dub.* 15. Quod idem docent etiam omnes Authores allegati, præter *Angl. & Emman. Sa* dicunt enim non ita præſcribi annum LX. aut LXX. ut generaliter tradendum ſit ſenes ea ætate excuſari a jejunio: ſed vires attendendas eſſe dicunt, ac juxta eas dijudicandum. At communiter hunc virium defectum dicunt priores DD. accidere anno ſeptuageſimo, poſteriores vero anno ſexageſimo: & ita cenſent hac ætate communiter ſenes excuſari. Quare *Cajet. & Pedraza proxime alleg.* dixerunt in ætate ſexagenaria conſtitutos ſemper excuſari, niſi evidenter conſtet ex complexione robuſtiori poſſe abſque detrimento jejunare. Quia ex eo quod de ætate conſtat, & de robore eſt ambiguum, non eſt amplius expectandum. At *Angles* omnes ſexagenarios excuſat, quamvis aliquis ex illis viribus ad ſuſtinendum jejunium polleret, quod idem docet clare *Emm. Sa*: ait enim excuſare a jejunio ætatem minorem anno vigeſimo primo, vel majorem ſexageſimo: unde æquiparat has duas ætates: at minor vigeſimoprimo ſemper excuſatur, Quæ ſent. etiam placet quibuſdam viris doctiſſimis. Mihi quoque valde arridet, quod ſenes nequeant ſimul totum alimentum naturæ ſufficiens ſumere: id enim ob caloris defectum, qui ſenectutem comitatur, concoquere non poſſunt, quare pauciori cibo, quam juvenes indigent, ſed frequentius ſumpto. Et licet quidam ſexagenarii in ea ætate robuſti videantur: negari nequit naturam jam prolabi, ac celeriter ad interitum tendere. Atque adeo eorum natura adminiculo cibi frequentius ſumpti indiget: ut non tam præſenti ſtatui, quam futuro conſulatur: ne cibo ſuis temporibus eſitato natura deſtituta, citius corruat, viresque omnino deficiant. Nec enim jejunium ſolvere licet, attenta ſola præſenti neceſſitate, ſed etiam quando in poſterum lapſus probabiliter timetur. Adde ſanitatem ſenem non eſſe firmam, & conſtantem, ſed fallacem, & incertam, mediamque inter morbum, & perfectam ſanitatem, ut pulchre teſtatur *Galen. l.5. de ſanit. tuenda, pag.*7. & ſtatim ſubjungit hæc verba: *Scire licet ſenilis corporis ſtatum, quoniam ex levi momento in morbum decidit: ſimili ratione iis, qui ex morbo convaleſcunt, in victu eſſe curandum.* Et *l.6. p.2.* hæc ait; *Senum ſanitas querimoniis non vacat; quamvis enim omnes habeat actiones, nullam validam habet. Atque adeo illa pars artis, quæ de ſenum ductu inſtituitur, huc tantum conſilia dirigit, ut ſanitatem eorum, quatenus fieri poteſt, tueatur.* Si ergo ſanitas eorum non eſt conſtans, ſed fallax, & apparens, victuque indigenti inſtar valetudinariorum, non cogendi ſunt ut totum cibum naturæ neceſſarium unico eſu accipiant, & cetera diei parte abſtineant; quod jejunii eſſentia petit: ſed frequentius eſt eis concedendus cibus, ut convaleſcentibus, ut natura adjuvetur, cibuſque concoqui valeat. Et confir. quia ob eam rationem convaleſcentes ex morbo a præcepto jejunii excuſantur, donec ad priſtinam ſanitatem reſtituantur. Tandem, quia S. Pius V. & Pont. ſucceſſores denegantes, clericis, & religioſis indultum Bullæ cruciatæ veſcendi lacticiniis in quadrageſima, exceperunt ſexagenarios, quaſi in ea ætate rationi conſonet ut imbecillitate naturæ conſulatur: ſimiliter ergo ea ætas reputanda erit ſufficiens, ut eam adepti, tanquam imbecilles, & non firmæ valetudinis, a jejunii onere eximantur. Sed ſupereſt jam enucleanda difficultas de feminis, an ſimiliter ætas ſexagenaria ſit illis præſcribenda, ut a jejunio eximantur; an potius quinquagenaria? Nam allegata n. præced. quinquagenariam præſcribendam eſſe probant. Quæ enim in viris eſt ſexagenaria, ea in feminis eſt quinquagenaria, attento breviori illarum vitæ curriculo. Deinde, quia ea ætate femina æque appropinquat morti, ac viri LX. annum nacti; atque ſimiliter viribus deſtituitur, indigetque cibo frequentiori, ut calor ſenilis paulatim illum coquere poſſit; ne ſimul toto neceſſario cibo ſumpto, ſenilis ille calor, ac tenuis ſuffocetur; eo vel maxime, quod calor

calor feminis ſit minor, quam in viris (ut n. præced. probavimus:) ac proinde is diminutus ratione ejus ætatis, minus capax ſit totius cibi neceſſarii ſimul ſumpti concoquendi, quam calor viri ſexagenarii. Quæ potiſſima, imo tota ratio eſt excuſandi maſculos, & ſexagenarios. In contrarium eſt, quod nullus aſſerat (& quidem merito) feminas ante XXI. annum teneri jejunare, cum tamen ratio naturalis augmenti, quæ viros eam ætatem non adeptos excuſat, ceſſet in feminis: utpote quæ ſicut citius ſeneſcunt, ita etiam citius adoleſcunt, ac incrementum perfectum recipiunt, ut ex Ariſt. retuli n. præced. Sed poteſt reſponderi, jam conſuetudine ita interpretandi receptum eſſe, ut lex Eccleſiaſtica neutrum ſexum obliget uſque ad XXI. annum. Quæ conſuetudo non reperitur explicans ſenectutis terminum: ac proinde conceditur locus, ut fas ſit rationibus ex utriuſque ſexus diverſa natura petitis inniti, ad ſibi perſuadendum diverſum ſenectutis terminum præfigendum eſſe. Præterea, quia Pontifices indulgentes eſum lacticiniorum virtute Bullæ, religioſis utriuſque ſexus ſexagenariis, nullam ætatis diſcrimen conſtituerunt. Sed facilis eſt ſolutio, in eo enim indulto fatendum eſt eamdem ætatem in utroque ſexu deſiderari: eo quod Pontifex certam ætatem præſcripſerit: at ubi non præſcripſit, ſed ex ſola imbecillitatis ratione, quæ ex ætate proficiſcitur, judicium ſumendum eſt, ſicut diverſitas ætatum diverſum judicium efficit, ita diverſitas ſexuum, quæ cauſa eſt ſenectutis ocyus advenientis. Deinde, quia ſi ſpectemus majorum phlegmatum copiam, quæ in feminis reperitur, in quæ calor nativus agit, vicemque cibi ſupplent, atque vitam ipſam quietam, ac modicæ corporis exercitationi vacantem, manifeſte comperiemus feminas etiam quinquagenarias minime indigere frequenti cibo, quali viri ſenes indigent, ſed paucis naturam earum contentam eſſe alimentis, quod & experientia ipſa teſtatur; feminæ enim ſuapte natura ad jejunia procliviores ſunt, & multo facilius viris jejunium ferunt. Quare cum in quinquagenariis feminis ceſſet ratio indigentiæ frequentis cibi, quæ invenitur in viris ſexagenariis, non excuſandæ ſunt illæ a jejuniis, inſtar horum; ſed eadem ætas in utriſque deſiderabitur: atque major ſenectus reperta in viro ſexagenario, quam in muliere ejuſdem ætatis, compenſabitur, & adæquabitur minori indigentia cibi exiſtenti in muliere, ratione abundantiæ phlegmatum, & defectu exercitationis corporis. Sed nec hæc ratio concludit, nec difficultatem exhaurit. Ex ea enim pariter concludetur, ſenes in nulla ætate a jejuniis excuſari. Quia ſenes facillime jejunium ferunt (ut docet *Hippoc. in ſuis aphoriſ. aphor.*13.) pauciorique cibo indigent: eo quod frigidiores ſunt. At eos excuſamus, quia (ut dicunt *Galen. & Braſavolus in illum aphoriſ. Hippocr.*) tale patiuntur, quale lucernis pene extinctis accidit, quæ continuam exigunt olei ſuffectionem, multa autem, & ſubita ſimul nequeunt ſuſtinere: ſic (inquit) ſenibus exhibere oportet cibum neceſſarium, ac paucum, & hanc ipſam cibi paucitatem in multas partiri portiones: nec ulla illis longa inedia eſt injungenda. Idem ergo dicam de feminis quinquagenariis, fateor enim ob phlegmata, & vitam quietam, facilius quam viros ferre jejunium ac pauciori alimento egere, at illam cibi paucitatem, præ ſenectute æquali cum viris ſexagenariis, ac majori frigiditate, non poſſunt ſimul ſuſtinere, ſed indigent, ut in multas dividatur portiones: nec poterunt unico eſu cibum neceſſarium vitæ tuendæ in poſterum ſumere: ac proinde a jejunio, quod in unica comeſtione conſiſtit, excuſabuntur. Hæc me ancipitem reddunt, & viris doctis a me conſultis placuit minorem ætatem feminis aſſignandam, quam viris: at dubitarunt de quantitate ætatis. Sed profecto, quæ n. præced attuli ex virtute ad generandum, quæ ceſſat in femina anno quinquageſimo, & in maribus ad minus uſque ad ſexageſimum protenditur, & ex communi exiſtimatione, probant æque dici ſenem feminam quinquagenariam, ac virum ſexagenarium. Et ideo aliis viris doctis hæc pars arriſit. Et re mecum conſiderata, & rationibus perpenſis, exiſtimo nil a ratione devium, nec mediocriter alienum a probabilitate dicturum, qui feminas quinquagenarias a jejunio excuſaverit, ſicut viri ſexagenarii excuſantur. At dum aliud non apparuerit clarius convincens, tanquam probabiliorem eligo opinionem, quæ ſuſtinet indiſcriminatim de ætate viri, & feminæ, ad excuſandum a jejuniis, loquendum eſſe. Et deſervient prædicta, ne damnemus amplectentem opinionem, quæ feminas quinquagenarias excuſat, verumtamen licet prædicta oſtendant eam opinionem eſſe probabilem ſpeculative loquendo, at in praxi cenſeo non eſſe tutam.

DISPUTATIO XXXIII.

An profeſſio conjugis de licentia ſpontanea alterius emiſſa abſque aliis jure requiſitis valida ſit; nec profeſſus revocari poſſit, ſed manens in ſæculo cogendus ſit profiteri, aut vovere caſtitatem?

SUMMARIUM.

*Quot quæſtiones diſputandæ ſunt, num.*1.
Quando conjux etiam juvenis manens in ſæculo vovit caſtitatem, valida eſt profeſſio alterius de licentia ipſius facta, 2.
Quid, quando nullum emiſit votum? Refertur quædam ſent. 3.
Valida eſt hujuſmodi profeſſio, 4.
An hic profeſſus ad uxorem revocatus, teneatur uxore mortua ad religionem redire, nec valide poſſit matr. conjungi, 5.
An teneatur reddere, an poſſit debitum petere? n.6. & ibi remiſſive, an uxor teneatur ei reddere.
Satisfit argumentis, 7.
An conjux profeſſus de licentia alterius juvenis manentis in ſæculo cum voto caſtitatis, poſſit revocari e monaſterio? Refertur quædam ſent. 8.
Non poteſt tunc revocari, 9.
Quid, ſi votum caſtitatis conjugis manentis in ſæculo ſit temporale, 10.
Quid, ſi nullum votum emiſit? Referuntur tres ſent. 11.12.13
Proponitur ſententia auctoris, 14.
An quoties poteſt revocari, poſſit hic propria auctoritate exire, 15.
An ſit locus huic revocationi, eo quod Epiſcopi auctoritas non intervenerit, 16.
An hæc revocatio fiat jure actionis competentis conjuge manenti in ſæculo, an ſolo judicis officio intervenienti? Refertur opinio, 17.
Proponitur Auctoris ſententia, 18.
An ſi res eſt integra, poſſit ipſe conjux, qui licentiam conceſſit, revocare, 19.
An quando Epiſcopus licentiam conceſſit, poſſit fieri revocatio, 20.
An poſſit Epiſcopus compellere religioſos exemptos impedientes revocationem hanc ex eorum monaſterio, 21.
An poſſit in hoc, & in aliis caſibus, in quibus juriſdictionem habet in exemptos, ipſos cenſuris compellere. Refertur quædam ſententia, 22.
Auctoris ſententia traditur, 23.
Conjux manens in ſæculo, cum nullum votum fecit, aut illud fecit, & eſt ſenex, nec ſuſpectus, an ſit cogendus ingredi religionem, ſi de ejus ſpontanea licentia alter profeſſus ſit, 24.
Quid, ſi conjux ſit juvenis, aut ſuſpectus de incontinentia. Refertur duplex ſentent. 25. & 26.
Sententia Auctoris, 27.
Solvuntur argumenta, 28.

SUperiori diſp. egimus de requiſitis, ut profeſſio conjugis de alterius licentia facta ſit licita. In præſenti diſcutiendum eſt, quæ ex illis deſiderentur, ut valida ſit: & quæ exigantur, nec concedatur repetitio, & cogatur profeſſus egredi. Et quia poteſt dari licentia ſponte, dolo, aut metu, aut nulla intervenire licentia, aut ſola diſſimulatio abſque alia licentia expreſſa. Diſputatio hæc aget de profeſſione facta ex licentia ſpontanea conjugis, in qua defecerunt alia jure requiſita, nimirum, quia conjux juvenis non pariter ingreſſus eſt religionem, aut non emiſit votum, ſive juvenis, ſive ſenex eſſet: atque ita procedit quando in licentia ipſa nil vitii intervenit. Et in ſeqq. diſputabitur, quando deficit prorſus licentia, aut ea fuit vitioſa, quia metu, aut dolo extorta; aut non fuit expreſſa, ſed ſola diſſimulatio. Quadruplex ergo quæſtio ſub præſenti diſputatione clauditur, in ea enucleanda. I. de valore profeſſionis conjugis factæ ex ſpontanea alterius licentia, abſque aliis jure requiſitis. II. de facultate revocandi illum, qui ſine his conditionibus eſt profeſſus. III. an hæc facultas revocandi competat jure actionis conjugi. IV. quando non conceditur revocatio, an compellendus ſit conjux manens in ſæculo profiteri religionem? 1

Quæſtio I. An valida ſit conjugis profeſſio de licentia ſpontanea alterius emiſſa manentis in ſæculo cum voto caſtitatis, vel abſque illo? Quæſtio hæc in duplici eventu diſcuti poteſt. Prior eſt, ubi conjux licentiam concedens manſit in ſæculo cum voto caſtitatis. Poſterior, quando abſque illo. Et quidem in priori eventu, quamvis qui manens in ſæculo votum caſtitatis emiſit, ſit juvenis, & ſuſpectus de incontinentia, certum eſt validam eſſe profeſſionem alterius, cui ſponte ſua licentiam conceſſit, quod non ſit de ſubſtantia profeſſionis conjugis, profeſſio alterius, ſed tantum deſideretur, quando hic eſt juvenis, ut profeſſio alterius licite fiat. Nec perverſio ordinis, quando non eſt de ſubſtantia, vitiat actum, ut *l.1. & ibi per Bald C. de appel. & per Bart. l. Prolat. C. de ſent. per Abbas Imol. & DD. c.Exhibita, de judic.* Deinde, quia textus, *c. Ad Apoſtol. c.Cum ſis, cap.* Uxoratus, *de conver. conjug.* petentes ut conjux juvenis ſimul profiteatur, explicant quid jure fieri debeat, ut legitime fiat profeſſio, non tamen irritant contra factam. Cum conſtet multa prohiberi fieri, quæ tamen contra facta tenent, *c. Ad Apoſtol. de reg.* Et ideo ita docent *Fred. conſ.47. ad fin. Hoſt. ſum. tit. de converſ. conjug. nu.8. Innoc. cap.1. n.un. v.Servare, eod. tit. & ibi Card. Abbas ibi n.8.* dicens eſſe omnium, *Anchar. ibi n.3. Card. ibi in fin. & c. Ex parte, el.1. ad fin. eod. tit. Henr. c.Uxorat. nu.9. eod. 1. Aret. conſ.59. n.8. verſ.Si ergo, Palud. 4. d.27. q.3. art.2 n.19. Majoris 4. d.32. q.2. §.Pro illa rubr. Roſel. v.Imped. imped. 11. init. Sylv. Matrim.8. q.12. dict.4. Tabien. Matrim.1. q.3. n.4. Sot. 4. d.27. q.1. ar.4. col.pen. verſ. Caſus autem, Nav. l.3. conſ. t. de conv. conjug. in prior. edit. conſ.5. n.3. in poſter. conſ. 14. n.3. Greg. Lop. l.12. v.Vale el caſamiento, t.7. p.1. Enriq. l.11. de matr. c.8. n.9.* & omnes DD. n.4. referendi, qui dicunt valere profeſſionem, quando conjux manens in ſæculo nullum votum emiſit, nedum quando vovit. Et quamvis *Anch. c.1. n.2. not.2. de conv. conjug.* dicat, ut tranſitus ad religionem ſit jure validus, non ſatis eſſe votum alterius manentis in ſæculo, ſed oportere, ut ſimul ingrediatur, non eſt contrarius: intelligit enim, ut ſit validus, ideſt firmus, ita ut revocationi non 2

ſit

ſit locus, ut ibi fere ſe explicat. Nec audiendus eſt *Angl. Flor. 1.p.* ubi de matr. *q.1. de eſſential. illius*, *d.27. ar.3. in dub. quod movet poſt 3.diffic.* ubi docet, profeſſionem alterius eſſe nullam, altero juvene non profitente, & ſtatim *diffic.6.* ſibi contradicit, ait enim, nuptias contractus ab hoc conjuge revocato, poſt alterius obitum eſſe nullas. Quod verum eſſe nequit, niſi profeſſio prior eſſet valida, ob quam matrim. ſubſequens irritaretur.

3 In poſteriori caſu, nimirum, quando conjux manens in ſæculo nullum votum emiſit: eſt gravior difficultas. Quidam cenſent profeſſionem eſſe nullam. Prob. ex *cap.Uxoratus*, *de conv. conjug.* ibi: *Uxoratus ſine licentia uxoris inter vos nullatenus recipiatur, quæ integræ opinionis exiſtat.* Nam dictio nullatenus inducit actum ipſo jure nullum, ut ex multis probavi l. præced. diſp.32. n.7. Ita docent *Innoc. cap. Quidam, ſtatim in princ. & n.3. & 4. de converſ. conjug. Victor. ſum.* ubi de matrim. *n.253. Emm. Sa ſumm. v. Religio n.33.* Addit Innocentius id votum in profeſſione ea factum habere vim ſolius voti ſimplicis, ac proinde per illud non dirimi matrim. ſubſequens. Sicut dicitur *eodem c.Quidam*, de profeſſione abſque alterius conjugis licentia facta.

4 Ceterum veriſſima ſent. probat, eam profeſſionem eſſe validam. Quam probant eædem rationes n.2. adductæ. Inſuper conſtat ex *c.Ex parte*, *el.1. de converſ. conjug.* ubi conſultus Pontifex de quodam, qui gravi morbo laborans uxore ſponte conſentiente, in religione profeſſus eſt: ac poſtea ſanitatem adeptus, uxorem retinuit, & ea defuncta aliam duxit, ſic ait: *Quia vero prædictus D. licet uxore ſua remanente in ſæculo, de jure ad religionem nequiverit proficiſci; ea tamen ſublata de medio, votum ſine ſalutis ſuæ periculo non potuit violare mandamus ut prædictum D. compellas, ut muliere demiſſa, ad ſuum monaſterium revertatur, ſub regulari habitu de cetero Domino ſerviturus.* Ergo valuit profeſſio, ubi ſola uxoris licentia adfuit, alias valeret ſecundum matrim. Tandem id probatur ex *c.Agatoſa 27.q.2.* quod eſt ex D. Gregor. *l.9. epiſt.44.* ibi: *Experientiæ tuæ præcipimus, ut diligenti inquiſitione diſcutiat, ne forte cum eius voluntate converſus ſit, vel ipſa ſe mutare promiſerit, & ſi hoc repererit, illum in monaſterio remanere provideat.* Ubi pondero, Pontificem locutum fuiſſe disjunctive, nimirum, ſi uxor conſenſum præſtitit, aut pariter converſa eſt. In quocumque igitur illorum eventuum valida eſt profeſſio. Et ideo hanc ſent. tuentur ex Juriſperitis, *gl. c.Uxoratus*, *v.Nullatenus*, *de conver. conjug. & c.Ex parte*, *el.1. eod.tit. in fin. Goffr. ſum.t. de conver.conjug. n.5. Hoſt. ſum. eod.tit. n.2. fin.& d. c.Ex parte, paulo poſt princ. ſuper v.Uxorem Cald. c.1. de converſ. conjug. & ibi Abb. n.8. idem Abb. d c.Ex parte, nu.2. 3. & 5. & d. c.Uxoratus, n.5.* ubi *Ant. n.5. Aret. conſ.50.n.8. verſ. Tertio probatur. Aſtenſ. 2.p. ſum. l.8.t.11. ar.2. q.11. Roſel. v.Impedim. imped.11. init. Sylv. Matrim.8. q.12. dict.4.* Et ex Theologis, *Durand.4. d.32. q.2. n.6. & ibi Majoris, q.2. §. Pro illa rubrica. Ricard. 4. d.27. ar.2. q.4. corp. Adrian. quodlib 1. ar.3. ad 7. Palac. 4. d.27. diſp.2. col. antep. f.591. & col.34. verſ. Hæſitas ſecundo, f.589. Enriq. l.11. de matrim. c.15. n.9. Azor l.11 inſt. moral. c.1. q.6. §. Si quæras.* Ejuſdem ſent. videntur eſſe alii Theologi, & Juriſperiti, qui indiſtincte docent, valere profeſſionem conjuge manente in ſæculo, nec explicant, votum emiſerit, necne. Sic ex Juriſperitis docent *Alberic. in ſuo diction. lit.V. v.Votum, 4. Archid. c.2. n.2.* Et *ibi Bellam. nu.3. 33. qu.5. Card. c.1. n.un. q.4. de conv. conjug. Henric. c.Placet, fin. eod. tit. Brunel. de ſponſal. concl.30. n.9. Jo. de Friburg. ſum. confeſſ. l.1. t.7. q.50. Angel. Matrim. q.4. n.10. Sylv. v.Divortium, qu.17. dict.3. & ibi Armil. n.12.* & ex Theologis, *D. Bonav. 4. d.27. in expoſit. lit. n.4. Palud. & Sotus n.2. alleg. Lud. Lop. 2.p. inſtr. de matrim. c.54. col. antep. Vega 2.t. ſum. c.34. caſ.104. Canedo ſum. ſacram. tr. de matrim. c.7. n.54.*

5 Hinc deducitur profeſſum hunc a monaſterio revocatum, eo quod deſiderata ſint aliqua jure requiſita, ac conjugi reſtituta, teneri, eo conjuge defuncto, ad monaſterium redire, quod vere profeſſus ſit, ac ſolum coactus redire ad conjugem manentem in ſæculo, ad conſulendum periculo incontinentiæ ejus, quod morte ceſſat. Et ita habetur expreſſe *c.Ex parte*, *el.1. de conv. conjug.* cujus verba n. præc. retuli. Et docent *gl. c.Agathoſa, v.Debeas, 27.q.2. Hoſt. ſum. t. de conv. conjug. n.8. Abb. c.1. n.8. eod. tit. Calder. Ant. Alber. Archid. Bellam. Brunel. Aret. Jo. de Fribur. Ang. n. præc. alleg. Domin. c.Seriatim, n.5. d.32. & ibi Turrecr. ar.3. n.4. caſ.8. Card. c.Ex parte, el.1. paulo poſt princ. & c.Quidam, n.2. q.5. fin. de conv. conjug. Sylv. v. Divortium, q.17. dict.3. ibi Armil. n.12. Greg. Lop. l.12. v.Vale el caſamiento, t.7. p.1.* Et ex Theologis, *D. Bonav. Palud. Sotus Azor. Lud. Lop. Cannedo, quos n. præc. retuli, Angl. Flor. 1.p.* ubi de matrim. *q.1. de eſſential. matr. d.27. ar.3. diffic.5.* Quare ſi profeſſus ille aliud matrim. tunc ineat, erit irritum ratione voti ſolemnis in illa profeſſione valida emiſſi. Sic *gl. Alber. Hoſt. Henr. Greg. Lop. Palud. Sot. Azor Ang. diffic.6. eiſdem locis, Abb. c.Ex parte, el.1. n.2. de conver. conjug. Enriq. l.11. de matr. c.15. n.9.* Et clare probatur ex *eod. c. Ex parte*, ubi jubetur profeſſus hic, uxore poſtea ducta dimiſſa, ad monaſterium, a quo ad priorem uxorem revocatus fuerat redire. At ſi matrim. poſterius eſſet validum, id conſervandum eſſet. Quare non audiendus eſt *Palac. q.4. d.32. diſp.2. col.13. & 14.* qui dicit eam profeſſionem revocatione caſſari; ac proinde matr. poſtea initum eſſe validum. Et ipſum ſequitur *Vega 2.t. ſum. c.34. caſ.104. §. Lo tercero.* Sed contrarium eſſe verum, ex dictis convincitur.

6 Secundo deducitur, profeſſum hunc revocatum ad conjugem manentem in ſæculo teneri illi debitum reddere. Quia alias fruſtra eſſet revocatio, nec ea conſuleretur incontinentiæ manentis in ſæculo, imo graviori periculo exponeretur. Et ratio eſt, quoniam etſi conjux licentiam profitendi concedens videatur jure ſuo renunciare, ac proinde alterum non teneri reddere cenſendum ſit: at quia renunciatio non fuit ſufficiens, & perfecta, defectu modi ab Eccleſia præſcripti, ſuſpenditur voti executio ad hunc effectum ut reddere teneatur. Ita docent *Scot. 4. d.32. q un. Palud. 4. d.27. q.3. ar.2. n.19. & d.32. ar.2 n.17 Abb. c.Uxoratus, n.8. de conv. conjug. Turrecr. c.Seriatim, d.32. ar.3. n.4. caſ.8. Supplem. Gabr. 4. d.32. q.1. art.2. coroll.* quod infert ex *9. concl. Palac. 4. d.27. diſp.2. col. antepen. f.591.* Addit *Scotus* (& bene) teneri hunc non petere debitum. Quia cum ſit vere profeſſus, aſtringitur voto caſtitatis; ac proinde tenetur ex parte ſua continere. Imo & *Turrecr.* ait neutrum poſſe exigere. Quia conjux dans licentiam ceſſit juri ſuo. Sed cum nullum emiſerit votum, ratione cujus interdictum ſibi ſit debiti petitione, exiſtimo eum poſſe. Quia renunciatio illa non fuit ſolida, ac perfecta. An vero alter conjux teneatur ei reddere? dicam diſp.38. n.22.

Ad textum contrarium nu.3. adductum reſpondeo dictionem, Nullatenus, non ſemper reddere actum nullum (ut docent aliqui, quos retuli l.6. diſp.32. n.7.) Idque maxime eſt verum, ubi induceretur juris alterius correctio, declarantis actum illum eſſe validum, ut contingit hic, ut probant textus n.4. adducti. 7

Quæſtio II. An ille valide profeſſus abſque jure petito in conjuge manente in ſæculo, poſſit revocari, ut conjugi reſtituatur, ex cujus licentia profeſſus eſt: ac ipſi integrum ſit propria auctoritate exire? Difficultas hæc verſatur in expoſitione textus *c.1. de conv. conjug.* ubi ſermo eſt de viro, qui uxore conſentiente profeſſus eſt, & ſic dicitur: *Dicimus, quod niſi uxor ad religionem tranſierit, aut perpetuo caſtitatem ſervare promiſerit, vir poteſt & debet de monaſterio revocari.* Et quidem hæc quæſt. ſicut & præcedens, in duplici caſu poteſt agitari. Prior eſt ubi conjux manens in ſæculo, voto ſe caſtitatis aſtrinxit. Poſterior, ubi id non fecit. Et in priori caſu, quando conjux manens in ſæculo vovit, cum eſſet juvenis, aut de incontinentia ſuſpectus, poſſe profeſſum revocari, juxta deciſionem *d. c.1.* admittunt aliqui. Quia manens in ſæculo non præſtitit, quod jure præſcriptum eſt ad alterius profeſſionem: erat enim pariter profeſſurus ratione juventutis, ſecus ſi eſſet ſenex, nec de incontinentia ſuſpectus, *c.Cum ſis*, *c. Uxoratus*, *cap. Ad Apoſtolicam de conver. conjug.* Et confirm. quia *c.1. eod. tom.* non corrigit prædictos textus ſub eadem rubrica contentos, immo juxta illos debet intelligi: oportet enim jura juribus concordare, *l.un. C. de innoffic. dotibus.* Atque ita dum *cap.1.* negat revocationem profeſſi, niſi uxor voverit caſtitatem, aut religionem profeſſa ſit, intelligi debet, ut in ſene ſufficiat prædictum votum. Quando ergo conjux juvenis ſolum votum in ſæculo emiſit, erit locus revocationi. Et ideo hanc ſententiam ſatis poſſe amplecti, ait *gl. c.Significavit, in fin. de converſ. conjug.* Et eam ſuſtinent cum hac limitatione, ſi mulier eſſet juris ignara, nec de præjudicio ſuo certior reddita, *Hoſtien. eod. c.Significavit, n.2. in fin. & ibi Jo. Andr. n.ult.* & abſque limitatione *idem Hoſt. ſum. tit. de conv. conjug. nu.8. Greg. Lop. l.12. v.Vale el caſamiento, t.7. p.1.* Et *Enriq. l.11. de matr. c.8. n.9.* ait poſſe Epiſcopum ex diſpenſatione extrahere maritum ſic profeſſum, ob periculum incontinentiæ uxoris. Et reddit rationem *in comment. lit.* R. quia urgente periculo incontinentiæ Epiſcopus diſpenſat in voto caſtitatis præcipue cum conjugato. Sed hoc non credo. Quia hoc eſt votum ſolemne, ac per id acquiſivit jus religio. 8

At verior ſent. habet, non eſſe locum prædictæ revocationi, quod conjux manens in ſæculo ceſſerit jure ſuo licentiam ſpontaneam alteri profitendi concedens, voto caſtitatis a ſe emiſſo. Quod licet jura non approbent, ut licitus ſit ingreſſus, quando manens in ſæculo eſt juvenis, imo fieri interdicant, *c. Cum ſis*, *c. Uxoratus*, *c. Ad Apoſtolicam*, *de converſ. conjug.* at approbat *c.1. eod. tit.* ad hunc effectum, ne concedatur revocatio profeſſi. Siquidem disjunctive petit, ut alter ſimul profiteretur, aut votum caſtitatis emitteret. Quare hi textus ſibi ipſis minime adverſantur. Et ideo hujus ſentent. ſunt *Innoc. c.1. n.un. ſuper verb. Revocari, de converſ. conjug. & ibi Calder. & Abbas, n.8. idem Abbas c. Significavit, nu.3. & c.Uxoratus, n.5. eod. tit. Anchar. dict. c.1. n.3. Carden. c.Ex parte, el.1. ad fin. de converſ. conjug. Aret conſ.59. nu.8. verſ. Si ergo, Majoris 4. d.32. q.2. §. Pro illa rubrica, paulo ante verſ. Ecce quomodo, Roſella verb. Impedim. impedim. 11. init. Sylveſt. Matrimonium 8. q.12. dict.4. Tabiena Matrimonium 1. q.3. n.4.* & hoc ſupponit *Archid. c. Agathoſa, n.3. & ibi Bellamera nu.2. 27. q.2. & Dominic. c.Seriatim, n.5. d.32.* ubi ſuſtinent hunc conjugem manentem in ſæculo cogendum eſſe quo ſervet votum, ingredi religionem. Idemque tamquam notum ſupponunt *DD. allegandi, nu.25. & duobus ſeq* & ſolum in dubium vertunt an hic conjux ſit in monaſterio tantum detrudendus, an etiam cogendus profiteri. Et hæc ſentent. eſt vera, quamvis uxor eſſet juris ignara. Cum enim non cogatur ad aliud, quam ad proprii voti obſervantiam, & ne revocetur profeſſus, cui conſenſum præſtitit, non eſt curandum, an juris conſcia an potius ignara ſit. Ita *Abb. duplici priori loco alleg. Cald. Card. Sylv. Major. Roſel. Tabien. ibid.* 9

Imo quamvis votum caſtitatis emiſſum a conjuge manenti 10 in

in ſæculo ſit temporale, non eſſe locum revocationi profeſſi ait *Hugo c. Qui uxorem, 33.q.5.* Sed melius *Rodenſis*, quem referunt & ſequuntur *Alberic. in ſuo diction. lit. V. Votum 4. Vincent. 2. to. in ſpecul. doctrin. l.9. c.87. Aſten. 2.p. ſumm. l.8. t.11. a.2. q.12. Jo. de Frib. ſum. confeſſ. l.1. t.8. q.40.* ſic diſtinguit, ſi uxor conſcia juris erat, non revocabitur vir, ſed ipſa cogetur, ſi ſenex ſit, votum perpetuum emittere: & ſi juvenis, ingredi monaſterium. Sicut jura petunt ad eum ingreſſum viri: ad id enim ſe viſa eſt obligaſſe, eam licentiam conſcia juris concedendo: juxta ea quæ dicemus nu. 14. & 27. ſi vero, ignara, revocabitur vir profeſſus. Quia *cap. 1. de converſ. conjug.* concedens profeſſi revocationem, eam concedit quoties conjux manens in ſæculo non vovet perpetuo caſtitatem.

11 In poſteriori caſu, nempe, quando conjux manens in ſæculo nullum emiſit votum, eſt quadruplex ſententia. I. Negat profeſſum revocandum fore; ſed ait manentem in ſæculo compellendum caſte vivere, quod profeſſio tenuerit: & explicat *cap. 1. de converſ. conjug.* concedens revocationem, quando conjux concedens licentiam non vovit, ut intelligatur de licentia metu aut dolo extorta. Ita docent quidam antiqui, ut refert *gloſſ. fin. dict. cap. 1.* idem tenet *Durand. 4. d. 32. q. 2. nu. 6.*

12 II. Sent. admittit revocationem, ſive uxor eſſet conſcia juris ſive ignara. Quia textus *cap. 1. de converſ. conjug.* indiſtincte concedit revocationem, ubi manens in ſæculo non vovit caſtitatem. Ita ſentiunt *gl. eod. cap. 1. ad fin. & ibi Innoc. n. unic. verſ. Servare, & verſ. Hoc autem, Card. ibi fin. Henric. c. Uxoratus, n. 8. & 10. de conv. conjug. Palac. 4. d. 27. diſp. 2. col. 36. f. 590.* & idem colligitur ex aliis, qui indiſtincte docent profeſſum hunc revocandum, quando conjux in ſæculo manens non vovit. Hi ſunt *Jo. Andr. c. Ex parte, el. 1. nu. ult. verſ. In quarto caſu, & ibi Anch. in fin. de conver. conjug. Archid. c. Agathoſa, nu. 3. & ibi Bellam. nu. 2. 27. q. 2. Adrian. quodlib. 1. art. 3. in ſolut. ad 7.*

13 III. Sent. abſolute dicit uxorem ſimpliciter conſentientem, ſi ſuſpecta ſit, cogi ad religionis ingreſſum: ac proinde revocationem negat. Sic *Hugo*, quem refert & ſequitur *Goffred. ſum. tit. de converſ. conjug. n. 9. Hoſt. ſum. eod. tit. n. 10.*

14 IV. Sent. (cui tanquam probabiliori adhæreo) ait cum diſtinctione hac. Si uxor manens in ſæculo erat conſcia juris diſponentis virum non poſſe profiteri, niſi ipſa licentiam concedens voveat caſtitatem, ſi ſenex ſit: & ſi juvenis, ingrediatur religionem: non poteſt vir profeſſus revocari: ſecus ſi ipſa hujus juris inſcia erat: quare *cap. 1. de conv. conjug.* diſponens poſſe revocari profeſſum, quando manens in ſæculo non emiſit votum, quando ea juris ignorantia accidit, venit intelligendum. Ratio hujus ſententiæ eſt, quia manens in ſæculo ejus juris conſcius, & ſponte concedens licentiam profitendi ſuo conjugi, videtur tacite vovere, & ad id aſtringere, quod ad illius ingreſſus valorem irrevocabilem deſiderari notat. Volens enim aliquid videtur velle omne id, per quod pervenitur ad illud, *cap. Prudentiam, de offic. deleg. l. Ad rem nobilem, l. Ad legatum, ff. de procur.* Præterea, quia non videtur velle actum fruſtraneum efficere. Deinde, quia *cap. Qui uxorem, 33. q. 5.* quod ex Concilio Rhemenſi, ſatis favet huic ſent. ibi: *Qui uxorem ſuam vovere permiſerit, aliam non accipiat, ſed ſimiliter convertatur.* Ubi non dicitur maritum voviſſe, ſed conſenſum uxoris profeſſioni præſtitiſſe, & tamen quia vir præſumitur conſcius juris, cogitur ſimiliter profiteri. Et ideo hanc ſent. tenetur *gl. eod. c. Qui uxorem, in fin. & c. Agathoſa, v. Vel ipſa, in fin. 27. q. 2. & c. Seriatim, v. Poſt mortem, d. 32. & c. Ex parte, el 1. v. Conſentiente, de conv. conjug. Abb. d. c. 1. n. 4. & 8. d. c. Ex parte, nu. 4. & c. Veniens, n. 3. eod. tit. Ricard. d. 27. a. 2. q. 4. corp. Vincent. 2. to. in ſpecul. doctrin. l.9. c.92. Roſella v. Impedim. imped. 11. init. Angelus Matr. 4. n. 9. Sylv. Matr. 8. q. 12. dict. 4. Tab. Matrim. 1. q. 3. n. 4. Sotus d. 27. q. 1. ar. 4. col. pen. Greg. Lop. lib. 11. v. Eſto, t. 7. p. 1. & lib. 2. v. Deguardar, t. 10. p. 4. Enriq. l. 11. de matr. c. 8. nu. 9.* Merito autem omnes hi loquuntur de uxore juris ignara: ſi enim eſſet vir, ſive eſſet juris conſcius, ſive ignarus, eo ipſo quod uxori licentiam profitendi concederet, cenſeretur vovere, ac proinde ceſſaret revocatio, quod in ipſo locum habeat *reg. Ignorantia, de reg. jur. in 6.* quæ habet ignorantiam facti, non juris excuſare. Ita limitant *Abb. eod. c.1. n. 9. Greg. Lop lib. 2. v. Deguardar, t. 10. p. 4.* Sed hæc differentia intelligitur in foro externo, in quo non præſumitur, nec excuſat juris ignorantia, ut dicam lib. 9. diſp. 32. nu. 10.

15 Sed dubitabis, an caſu, quo poteſt hic conjux revocari, poſſit propria auctoritate exire? Id affirmant *Innoc. c. Quidam, n.3. de conv. conjug. & Magiſter Abbatis antiqui* (ut referunt *Jo. And. c.1. n.3 & ibi Ant. n.7. Anch. in fin.* nec reprobant, ſed tantum vocant oppoſitum tutius, nimirum, ut revocatio fiat auctoritate judicis.) Idem tenet *Turr. c. Seriatim, a.3. n. 5. d.32.* Quia ſi poteſt revocari, cur non poterit coactionem prævenire? Deinde, quia quamvis profeſſio teneat, at alienando ſe a conjuge peccavit, præſtititque adulterii anſam. Ergo poteſt propria auctoritate egredi, ne in peccato perſiſtat, & ut ceſſet cauſa adulterii. Imo addunt *Inn. & Turrec.* poſſe eum profeſſum petere, ut conjux manens in ſæculo ſibi reddatur. At dicendum eſt minime poſſe propria auctoritate egredi. Quia vere profeſſus eſt & tenetur ad obedientiam. Et quamvis initio peccarit ingrediens religionem non ſervatis jure præſcriptis in conjuge manenti in ſæculo: at perſiſtens in religione non peccat: quia jam non eſt ſui juris: & licet poſſit revocari, id non eſt jure actionis competentis alteri conjugi, ſed ex mero judicis officio (ut dicemus n. 18.) Et eſto eſſet jure actionis, at dum conjux manens in ſæculo eo jure non utitur revocationem petens, nullum jus egrediendi habet profeſſus ille. Et ita docent *gloſſ. c. Uxoratus, v. Nullatenus, de conver. conjug. & ibi Anchar. fin. Cardin. c. 1. nu. un. q. 2. & 4. eod. tit. Vega 2. to. ſumm. c. 34. caſ. 104.*

An autem eo quod licentia Epiſcopi non intervenerit, detur revocatio? dixi diſp. præc. nu. 3. 16

Quæſtio III. An caſu quo profeſſus hic revocari poteſt, id fiat jure actionis competentis conjugi in ſæculo relicto: an potius ex ſolo judicis officio? Quibuſdam placet id fieri jure actionis: atque ita concedunt conjugi in ſæculo relicto, qui ſponte licentiam illam profitendi dedit, jus repetendi profeſſum. Quia cum ea conjugis licentia fuerit minus legitima, non videtur ipſi jus revocandi ademptum. Atque ita ſentiunt *Abb. antiquus, cap. 1. de conver. conjug. Innoc. c. Quidam, nu. 3. eod. tit. Dominic. c. Seriatim, n.5. d.32 Ricard. 4. d.32. a.2. q.2 fin. corp. & ad 2. fin. Palud. ibi, q.2. ar 2. n.17. & d.27. q.3. ar.2. num. 15. Aſtenſ. ſum. 2.p. l.8. t.10. ar. 2. q. 7. fin. Supplem. Gabriel. 4. d. 32. q 1. art.2. in corollario, quod infert ex 9. concl. Guill. Borrillon. 4. d. 32. q. un. art. 2. poſt 1. concl. caſ. 1. Palac. 4. d. 27. diſp.2. col. 36. verſ. Scito tamen, Majolus lib. 1. de irregular. c.4. n. 5. Angles Florib. 1. part.* ubi de matr. *q. 1. de eſſential. ipſius, d. 27. art. 3. diffic. 4. Anton. Gom. in expoſit. bullæ cruciatæ, clauſ. 10. nu. 70.* Dicunt autem *Palud eadem d. 32. qu. 2. ar. 2. num. 17. Ricard. Aſtenſ. Supplem. Gabriel. eiſdem locis*, peccare conjugem manentem in ſæculo revocando. 17

At multo verius eſt non poſſe revocari jure actionis, ad conjugis alterius petitionem, ſed ex ſolo judicis officio, cujus eſt conſulere periculo incontinentiæ conjugis in ſæculo relicti, dum id imminere viderit, revocando profeſſum, & eum illi reſtituendo. Et ita intelligitur *cap. 1. de converſ. conjug.* eam revocationem concedens. Quia cum profeſſioni conſenſum præſtiterit, ceſſit jure ſuo, quod in eum habebat: ac proinde amplius actionem non habet. Et ita opinantur *gl. c. Uxoratus, v. Nullatenus, de converſ. conjug.* ubi *Jo. Andr. fin. Anton. n. 5. Abbas n. 6. Anch. fin. Card. q. 1. Idem Jo. Andr. c. Ex parte, el. 1. n. 4. eod. tit. & ibi Anton. n. 8. Anch. n. 2. verſ. In 4. caſ. Card. paulo ante fin. Idem Anton. c. 1. n. 4. eod. tit. & ibi Calder. Abbas n.8. Card in fin. & oppoſit.2 Idem Abbas c. Significavit, n. 3. eod. tit. Aretin. conſ. 59. n. 8. verſ. Tertio probatur, Aſtenſis ſum. 2. p. l. 8. t. 11. art 2. q. 11. Brunel. de ſponſ. concl. 30. nu. 9. Lex regia 11. t. 7. p 1. & ibi Greg. Lop. v. De ſuo officio, Roſell. v. Impedimentum, impedim. 11. init. Angelus Matr. 4. n. 9. Sylveſt. Matrim. 8. q. 12. d. 4. Tabiena Matrim. 1. qu. 3. nu. 4. Azor lib. 12. inſtit. moral. c. 1. q. 6. §. Si quæras.* 18

Id tamen certum eſt, ſi res eſt integra, quia conjux, cui data eſt licentia, nondum eſt profeſſus, poteſt licentia a conjuge concedente revocari: nec factum tenebit geſtum ab altero poſt eam revocationem, quod legitima licentia caruerit. Ita docent *Palud. 4. d.32 q.2. art.2. n.17. & d.27. q.3 art.2. n. 15. Supplem. Gabr. 4. d.32. q.1. art.2. concl.8. fin. & d 27. q.2. art.3. dub.9. Palac. 4. d.27. diſp. 2. fin.* qui addit nullum eſſe tempus præſcriptum, ad hanc revocationem, ſed quandocumque fieri poſſe, dummodo res ſit integra. Et explicat *Palac.* quando manens in ſæculo non emiſit votum: indeciſum autem reliquit, quando votum emiſit. At exiſtimo non poſſe revocare, ſi licentia legitima fuit, ut quia manens in ſæculo erat ſenex. Jam enim perfecte ceſſit jure ſuo: nec res eſt integra: cum ipſe voto aſtrictus ſit pacto mutuo inito: quippe alter conſenſit emiſſioni voti, ut ſibi integrum eſſet profiteri. Si vero non fuit legitima, quia erat juvenis, peccabit quidem contra votum revocando: at factum tenebit, revocatioque valida erit. Quia non erat perfecta renuntiatio proprii juris, ut diximus num. 6. 19

Utrum autem ceſſet prædicta revocatio officio judicis facienda, quando Epiſc. conceſſit licentiam profeſſioni faciendæ: at fuit minus legitima? juxta dicta diſp. præc. num 3. 02

Poteſt vero Epiſcopus contra religioſos exemptos procedere, quando injuſte detinent conjugem hunc profeſſum: impediuntque ne ejus officio revocetur, quod bene docet *Salzedo in additionibus ad pract. Bernardi Diaz cap. 3. lit. A. §. Punire, in fine*: & ita praxi receptum ſe vidiſſe. Et ratio eſt, quod in hoc eventu non agatur de religionis privilegiis, ſeu ipſa concernentibus, aut de ſtatu regularium: ſed de matrimonii inſtauratione, conjugiſque revocatione, qui minus legitime profeſſus fuit, quod ordinarii proprium eſt, *cap. 1. de converſ. conjug.* Deinde, quia ordinario competit omnimoda juriſdictio contra extraneos, & exemptos impedientes ſuam juriſdictionem, ut tenent *Innoc. cap. Dilectus, in fine, de pœnis, Stephanus Aufrerius tractatu de poteſtate ſæculari ſuper Eccleſiaſticas perſonas, num. 23. Rojas de hæreticis, 1. part. nu. 155. & ſeqq.* ait, ſe, cum eſſet Vicarius generalis, pluries in praxi id obtinuiſſe contra canonicos regulares: & quoſdam monachos D. Bernardi exemptos. Quia conceſſa juriſdictione, cenſetur ea conceſſa, ſine quibus exerceri nequit, *lib. 2. ff. de juriſdict. omn. judicium.* 21

At in dubium vertitur, utrum poſſit Epiſcopus cenſuris prædictos exemptos compellere impedientes revocationem conjugis e ſuo monaſterio: & in omnibus aliis eventibus, in quibus juriſdictionem habet erga ipſos. Id enim affirmat *Salzedo, num. præced. alleg.* Quia poteſtas excommunicandi ejus eſt, 22 qui